









Re D. 2857

STEPHANI
DOLETI ORATIO-
NES DVAE IN
THOLOSAM.



Eiusdem Epistolarum libri II,
Eiusdem Carminum libri II,
Ad eundem Epistolarum amis-
corum liber.



Joannes de Valiech I. V. Doctor,
Regius Confiliarius Sacrique
Palati Referendario.

in ipsius officina impr. 1538
stuler in episcopum gesler. Ed. 1574. pag. 837.

Bibliotheca Prustelliana

SYMONFI

NETIVS, CLAVDIO
COTTERAEO S.



V'NE, quod feci, criminis mihi
uertendum, an in laude ponendum
potius arbitrare? Rem paucis acci-
pe, ferq;, quæso, summo iure sen-
tentiam. Cum Stephano Doleto o-
mnia mihi summæ necessitudinis iu-
ra intercessisse non ignoras. Eum
ipsum cum perditis atq; scelerati nescio cuius hominis acer-
bæ quidem minæ, sed perniciosa magis potētia, urbe Tho-
losa excedere coëgisset, Lugdunum me comite se recepit,
ea omnino mente atq; consilio, ut quæ in Tholosam nomi-
natim, quæq; multa ad multos cum prosa dratloge, tum
carmine elegantissime scripsisset, typis politioribus excu-
denda curaret, atq; acceptas Tholose in iurias, suumq; do-
lorem stylo ulcisceretur. Sed tantum huc ueneramus, cum
ecce tibi ualetudine, ex qua non ita dudum emerget, gra-
uius solito perturbatur, in quartanam tandem cōuersa uis
est morbi. Mentis grauitate atq; altitudine quanta sit, quo
animo ad casus humanos & contemnendos, & ridendos
natus, quam uiriliter ægrotet, minime omnium dubitas. Sed
tamē perpetuo se fatis inquis & aduersis conflictari que-
ritur consilium sua euulgandi abijcit, neq; aliud curat, nisi
ut quam commodissime conualescat. Ego amici laudem &
gloriam morbi in commodo in tempus longius reijci gra-
uißime

uißime dolui, idq; molestissime tuli, qui illum iniurijs ne-
fariè scelesteq; uexarant, diutius impunitate superbire." Itaq; quid pro re nata consilij cepi, quamq; rationē inij,
ut amici existimationi seruirem, ex illius famae studere ui-
derer, non inuitus cognosce, tum deniq; quid mihi ex ea
re tribuendū sit, iudica. Orationes duas, quas in tanta au-
dientiū frequentia, quanta nullus nostra memoria orator,
non quæsito aut facto, sed uero oblatoq; argumēto Tho-
losæ habuit, illi furtim surripui, furtum etiam auxi duobus
epistolarū libris ad orationū argumēta apprimè quadran-
tibus: mox tam opima præda factus rei audior, carminū
item libros duos compilo, omnia in luce autore incōsulto
in scioq; profero. Quid? iam tuum expecto iudicū. Quòd
si secus, atq; spero, neq; secundum me ius dices, ius tamen
interim ita mihi statuam, sicq; ad causam meā defendendā
incumbā. Primū in officio me fuisse non negabis, qui amici
nomen illustrari uoluerim. Me munus etiā damnare pote-
ris, quòd dum amico laudem adferre contēderim, maculā
pararim conflagrimeq; teterrimā, scriptorum indoctorū et
male cultorū editione. Nimurum hoc loco conscientiā ap-
pellare tuam possum. Num unum ex omnibus nostri tem-
poris Doletū esse mecum censes, cuius commētationes et
summis laudibus, et iucundissime gratissimeq; docti sint
excepturi? Impedior mea cum illo cōiunctione et omni-
bus cognito usu, ne plura hic ad laudem eius pertinentia
referam. Suspiciabuntur enim iniqui, me amici nomini plus
satis fauere, atq; indulgere, non uera perspectaq; prædi-
care. Non tacebo tamen, quod nemo paulo æquior et li-
teris instructior mihi assentiri recusabit, neq; tu ambiguum

* 2 habes,

habes, Doletum nostrum, aut arte et doctrina, aut pro-
prietate elegantiaq; uerborum, aut sententiaru grauitate,
aut inuentione et acumine, aut sonoro deniq; et nume-
roso stilo, nulli nostrae tempestatis scriptori cedere. Hic
etiam libere addam, nulla cuiusquam inuidia, qui cum orationi
facultate et epistolaru suauitate uarietateq; ita prompta
carminis cuiuscumq; generis artem habuisse uisus sit, cuncta
hactenus caruisse secula: tametsi carminis scriptione penè
despiciat, orationis uero sublimitatem suspiciat, et illi to-
tum se dedit, nec uersus nisi animi gratia componat, ea
tamen facilitate, ut solutam oratione, non numeris astrictu
carmen dicas. Adolescentem tqt ornatum laudibus non tam
ipse miror, quam omnem omnium admirationem supera-
turum spero, uita si suppeditet. Quid enim etate proue-
ctiore et ingrauescente non prestatus est, qui ineunte
adolescetia excitatam de se expectatione non solum pre-
clare sustinet et tuetur, sed supra etatem omni et elo-
quentiae, et uirtutis laude maiores natu excellit? Non hic
illum ineptis laudibus efferam, non laudatoru conductoru
more, encyclopaediā percurrisse prædicabo, tantu cōfirma-
bo, quod ad disciplinaru bonarum cognitione, et dicendi
facultatem comparandā necessariū atq; commodū sit, nihil
omnino ab illo prætermissum. Impeso et inaudito labori
diligentiaeq; quam literaru studio impendit, non deest in-
genij felicitas, adestq; singularis et eximia prudetia, atq;
acerrimū exactissimumq; iudicium. Pronūciationis graui-
tatem, cum res postulat, lenitatem, cum necesse est, uultu,
gestu, uocem ad parteis omneis moderata atq; intēsam,
singula deniq; quibus ille in dicendo floret, tibi exponere
non

non habeo, qui dicentē illum magno cum alijs silentio ex admiratione audisti. Tam ampla & honorifica de illo scribere non uereor, cum tua fide adductus, tum doctorum multorū testimonio fretus, quorū nonnullas ad Doletum epistolas in uolumen referri non alienum uisum iri ratus sum, eorū ut autoritas obtrectatores terreat, & fidē Doleti eloquētia faciat. Chrysogoni Hammonij Itali epistolam addidi, quam ut cum alijs ederem, à me maiore in modum cōtendit, Doletū sibi cōciliandi studio singulari addusetus. Bonus est planè adolescens, & cum eloquentia ornatus, tum animo in doctos eximio. Id quod facile intelliges, hoc si cognoscet, sempiternā Italorum in Gallos iuidiā non obstatisse, quin Italus de Gallo, eoq; nulla sibi amicitia coniuncto honorificētissime & senserit, & uere recte q; iudicarit. Verum ne te lateat, quid mihi in causa potissimū fuit, ut Doleti lucubrations aliquot in apertum proferri tantopere uellem, hoc unum me perpulit, ut quæ propediē mea cura exhibūt, illum certe incitēt, incēdantq;, ut ea quæ multa continet, sibiq; lente & fastidiose probari, multis sēpe, nubiq; sēpissime cōfirmauit, elimata tandem & perpolita emittat. Illam maxime orationē euulgari cupio, qua se in senatu defendit, in carcerem coniectus: ea facile declarabit, quām notos omneis habeat artis rhetoricae locos, quantāq; sit & ingenij acumine, & in dicendo tum subtilitate, tum copia. Iam tu colligere potes, atq; statuere, quid mihi sit adscribendū. Sed nisi parum recte conjectura auguror, furtum nostrū magnificies, nec ullo me flagitio eam ob rem adstrictum existimabis. Vtcung; sententiam feras, ego, dum Doletus conualescēdi gratia coeli

huius grauitatem uitat, et ruri medicorum adhortatione agit, libris, quos commemorai, excudendis operam do, non rem homini prius indicaturus, quam accesserimus Patium. Illic nos, cum se calor fregerit, cogiture iam prius ad te scripsi. Tu interea fac, ut abs te literas accipiā, et quid agas, quamq; diligenter literis incumbas, intelligam. Vale. Lugduni, ad Calend. Sext.

C H R Y S O G O N V S H A M M O N I V S A R C H A= G A T O, C R I T O N I S.



OLVENTAS tua, quæ in eloquentiam uisa mihi semper fuit propensisima, facit, ut nihil eorum prætermittam, quæ ad hanc tuam uoluntatem ex plendam conferre existimem. Sim enim improbus, mi Crito, nisi omnibus, quibus possum, modis, istos tuos conatus iuuem: quod sane libenter facio, neq; id tantum ut te hominē et gratum et memorē mihi obstringam atq; deuinciā, sed quia sperem non irritos hosce conatus tuos fore. Non uisum autem est id posse commadius fieri, quam si per me tibi doctorū iuuenum scripta legendi fieret potestas, eorū in primis, qui non solum elec̄tissimis uerbis utantur, sed et sententiarū pondus habeat, et antiquorum in dicendo puritatem grauitatemq; omni studio imitentur. Inter quos Stephanus Doletus (si quid ego iudico) facile principem locum nostra ætate obtinet. Neq; dubito, quin tu quoq; postquā illius elegatissimas luculentiss

culentissimasq; orationes legeris, facile in eandē sententiā
descendas, simul id uehemēter mirabere, cum dicēdi facul-
tate, et epistolas scribendi arte, tantam carminis facilitatē
illi potuisse contingere. Atqui nolim credas id me nimia
quadam benevolentia adductum affirmare, hoīinē siquidē
ne de facie quidē noui. Sed audi, quæso, casum planè diui-
num. Forte hesterno die bibliographū inuiserā, cum illic
Symonem Finetum Doleti familiarissimū atq; perneceſ-
fariū reperio, quem cum primū cōſpexiſſem uultu pertur-
bato ac planè commoto, rogito quid apud typographum
agat, ille bonarū artium neq; expers neq; rudis, theſaurū,
inquit, in apertū proferri curo, simul et ostendit Doleti
orationes duas, quibus, ita me dij ament, ut nihil unquā cul-
tius aut doctius legi. Eas Doletō ſurripuerat, amici nomi-
ni consulens, qui quoniā tam plenum laudis opus diutius
cōtinere decreuerat, Finetio furti causam præbuit. Quod
insigne et multis fructuofur futurum facinus uehemen-
ter laudaui, magnopereq; autor fui, sui ut furti omneis
participes esse uellet. In eam rem diligenter incūbit. Opus
excusum breui ad te mittam. Non dubiu certe habeo, quin
illius lectione animus tuus ad utranq; eloquentiā mūrifice
formatus, magis accēdatur, et ad tam eximij scriptoris imi-
tationē totū te cōponas, aut saltē Ciceronianæ locutionis
diligentissimū obſeruatorē agnoscas. Non possum autem
uerbis cōsequi, quām ægre feret autor ipſe hanc commen-
tationū ſuarum editionē, quamq; graues nobiscū expoſti-
lationes fuscipiet. Sed feret ille quoquo modo uolet, tu in-
tereā tam inſperato bono fruēris, atq; me tui ſtudioſiſſimū
perpetuō amabis. Vale. Lugd. Idib. Aug.

Dicolon distrophon.

G V I L I E L M V S S C A E
ua, ad Stephanum Doletum.

Christ. Longo-
tius, & Symon
Villanouanus
Galli in Italia
extincti.
ET litterarum, & Galliæ ambo lumina
Extincta trans alpeis nimis
Præcoce flatu, litteræ atq; Gallia
Luxere longis nanijs.
Nunc dum tua inspectant Dolete opuscula
Nihil quidem spirantia
Præter Periclem, eiusq; plena seculi,
Disertus in quo Tullius
Exhaustit omnem prisci honorem acuminis,
Illis uidetur, non modo
Par luminum illud, uerum & ipse Tullius
Lucere sub scriptis tuis:
Iussere longas sic ualere nanias
Et litteræ, una & Gallia.

A D L E C T O R E M.

Caue, lector, putes Stephanū Doletum latuisse, Aquitanos à Vasconibus Strabonis lectione separari, sed quod
Romine generatim nullaque utatur differentia, eum
adduxit cui Cornelij Taciti autoritas (qui Vascones Aqui-
tanie propulum uocat) tum ut nomine notiori, & inuidia
flagrantiori pleno aduersarium perstringeret. Habes, cu-
ius maxime præmonitum uolui. Vale, & nascenti
Doleti laudi fac præsto sis, & faueas, ab eo si quicquam
posthac aut speras, aut cupis.



SIMONIS FINETII

IN VTRANQVE DOLE

orationem Argumentum.



HOLOSÆ legum natūra studia,
eoq; nomine ex cunctis orbe partibus
magnum illuc fieri adolescentium con-
cursum, certum est. In qua tum linguae
sono, tum moribus discrepantium homi-
num frequentia, suis quisq; oblectatus, cum suis coitionem
facit. Hinc mox Gallos inter se se sodalitatem inire conspi-
cas. Eodem societatis studio incensi Vascones, sodalitatē
quoq; inter se se constituunt, & firmant. Non eam ami-
citiae retinendæ, & opem mutuo ferendi occasionem ne-
gligunt repudiant'ue Britones, Hispani, Germani, &
quos undique excipit ad legitimas disciplinas Tholosa.
Initis in eum modum sodalitatibus, accessit diui alicuius
tutelaris ad statum diem cultus, ac uelut constituta scho-
lastica republica, representata'ue imperij cuiuspiam ima-
gine, suus cuic; sodalitati imperator præficitur, qui soda-
les conuocet, ad suscipienda hortetur, ab iniuria tueatur:
centuriatis etiam comitijs, & publicis suffragijs designan-
tur quæstores, qui in uerba sodalitatis iuratos ad impera-
tam pecuniam persoluendam cogant. Ad hæc, quod lau-
datissimum est, eligitur ex sodalitatis oœtu eloquentior,
oratoris qui munus obeat, & ad stata festa orationem hæ-
beat, morteq; absumptos sodales dicendo publice lugeat.
Isthaec ipsa dum Galli studiose colunt, & religiose obser-
uant, Tholosam Doletus accedit, ad oratoris parteis con-

a tinuo

tinuo depositur, quod ex honorificum, et splendidum.
onus è fama existimationeq; sua enixe subire cupiens, Gal-
lorum primum laudes, ut moris erat, ornamentaq; prædi-

Orationis cat. Proinde facta à senatu in omneis generatim sodalita-
primæ argu= tes præiudicia oratione oppugnat, et infirmat. Tholo=

mentum. sam barbarie postulat, illius edicta promulgationesq; ele= uat, id tamen per paucis, temporis angustijs præceps, ut secundæ orationis argumentum tantum prima parasse ui= deatur, uixq; alteram, sine altera, sensu integro legas.

Orationis Denique oratoris munere perfuncto, insurgit Aquitanus,
secundæ argu nescio quis, grammaticus, gratus tamen, et popularis=

mentum. qui ut morbo procacitatis liberius uteretur, Gallisq; petis
lanter malediceret, ex Doletum conuitijs asper=

geret, Tholosæ dignitatem propugnare, immi=

nutam à Doletu senatus autoritatē tueri,

Vasconum leorum causam defen=

dere se fingit: cuius impuden

tia, et procacitate, calum

nijsq; grauiter com

motus Dole=

tus, ita, ut

legere

est,

oratione

secunda respondit.

S T E P H A N I
 DOLETI IN THOLO=
 SAM, ORATIO
 PRIMA.



I QVAM MAXIME ab humanitate abhorrent, quorum
 huc me barbarus animus asperitasq; pertraxit, tam grauiſſime uos
 cauſæ nostræ aduersos, & à sua
 uiori naturæ ſenu alienos iudica=rem, ecquis me aut prudentem pa=rum, aut ſtultum nimium, dicere non iure poſſet, cum in
 quo nullam nec à uobis omnino gratiam initurus, & ina=nem ſuperuacaneamq; operam poſiturus uiderer, nunc in
 hoc maxime uiribus dicendi meis, & oratione paulo ad=modum uberiore uti impotentius cuperem? At uero cum
 uestri eam rationem consiliij eſſe ipſe arbitrer, uobisq; ita
 animo conſtitutum ſciam, ut quod à ratione atque ab hu=manitate diſſentiat, ſequi modo uelitis proſuſus nullo, idq;
 contra non dubitem, quod cum communi uitæ ſocietate
 faciat, nullis uos neq; iudicū ſententijs, neq; cuiuſquam
 minis relicturos, in officio eſſe me putabo, uosq; hunc
 mihi uextra cauſa ſuceptum laborem haud uulgariter gra=tulabimini, ſi quam, niſi ſenſus expers ac ſana mente ca=rens, nemo quidem improbat, coniunctionem noſtrām
 non modo non damnandam iudicijs, ſed omni retinendā
 atque ſeruandam cura, planum diligenter faciam. Etenim

a 2 quod

quod in uotis mihi antea semper fuit, neque non studiose
 quæstiui, ut noſter erga uos animus officij cuiusquā oratio
 perspicere tandem aliquando posset, id modō præter ſpem
 uidemur adepti, dum, quod ueſtræ dignitati atq; existi-
 mationi labem non minimam allaturum eſt, & antiquam
 noſtrā sodalitatem diſſoluturum, uias omneis diligenter
 persequor, id aduersarijs ne ex ſentētia cadiat, & noſtra
 oratione accurate probetur, quām uos ad hanc ipsam rem
 unā mecum omneis pro uirili honestum ſit incumbere.
 Sed nec ſanè dubium ſit cuiquam, quæ me cauſa præter
 ceteros mouit, ut hoc onus uiribus noſtris maius, & do-
 ctioris ingenio atq; eloquentiæ accommodatiuſ, ambitioſe
 forte fuſceperim, ad noſtrum, quod ante diximus, erga
 uos ſtudium, id ſi additum libenter quoque uelit, mea
 quantulacunq; eſt in hiſ locis fama, atq; eruditioñis opi-
 nio, ueſtræ ſodalitatis nomine, in quam me ultrò aſciuiſtiſ,
 omnem ſanè profectam, atq; nunc illa maxime ex flore-
 re, & augeri, ſine qua iaceret turpiter. Niſi rūm nec
 tanta eſt noſtra dicendi facultas, nec ea orationis copia, ut
 quam declato hoc mihi à uobis oratoris munere, inſignem
 præ ceteris laudem publico honore capio, priuatus illam
 grauiſ diligentia, labore ſue potuiſſem parte ex ulla con-
 sequi. Quod ſi fuſceptas dicendi parteis obiens, ueſtras
 primum, id eſt, præclaras Galliæ Gallorumq; laudes in
 cœlum plena uelut manu extuli, & à uulgari illo omni-
 busq; communi orandi genere meum mihi officium ineun-
 dum censui: quid iam cauſe eſt, quare & ueſtra fretus
 benevolentia, & muneriſ noſtri ratione adductus, cum
 grauiora attentare, tum uero rebus ueſtris coſulere modo
 ullo

ullo uerear? Id quod ut recte commodeq; coner, si nunc
uobis nulla uelitis dubitatione persuasum, fiet mehercule,
ut meam uobis operam diligenter à me p̄estitam putetis,
nec me meæ ostentandæ eloquètiaæ occasionem aucupari,
sed uestræ laudandæ probandæq; coniunctionis locum so-
lum querere, non obscure cerni quidem liceat. Atq; ante-
quam de ipsa causa dicere incipiam, id etiam ab ijs (qua-
doquidem hic nonnullos coram p̄esentes uideo, quorum
asperitas rudiorq; natura nobis huiusc orationis argu-
mentū p̄æbuit) omni mediustidius obtestatione impetratū
optem, ut si quam domi opinionē singulari quodā à seq;
facto in nos p̄æjudicio, altius antea mente comprehende-
rint, eam si iure cōuulsam, si æquitate labefactatā, si ratio-
ne extortam, ad extremū sentiant, p̄æfracte aut peruica-
cius ne repugnant, & libentibus æquisq; animis remittat.
Quare etiā si quis sit fortè, qui, quæ modo refellam, in aliā
longe, ac in quā spero, & opto, partem accipiat, nisi idē
erit, qui rationi perpetuo aduersari decreuerit, magna me
spes tenet, fore ut nostra oratione permotus facile senten-
tiā mutet, neq; ullam hac re necum simultatē suscipiat,
putet ne hinc sibi nasci in me inuidiæ aut odij acerbioris
argumentū, unde nubi gratiam ab omnibus sine contro-
uersia colligi arbitror oportere. Itaq; dum ad ea quæ sunt
in causa singulatum explicanda aggredior, non abs re fa-
cturus censear, si quod huic defensioni proprium, ex nubi
penè necessarium, in primisq; commodū est, hoc primo à
uobis deprecer, ut non quasi de re semel atq; iterum à se-
natū p̄æjudicata dicturum me explodatis, sed uelut hoc
primum tempore de hac re apud uos agatur, benigne me

libeat attēteq; audiri, & animos uestros ab omni alia op̄i
nione pr̄euerti. Vos igitur studium nostrū uestro plausis
inflammate, uos me currentē incitate, uos secunda admir
muratione consiliū nostrum comprobate, deniq; ut nemo
hæc repudiare iam audeat, assensione uestra efficite, atq;
id ipsum eo omnino magis, ut omnibus de uestra humani-
tatis retinēdæ uolūtate animoq; liqueat, q̄ quod magnope-
re cause nostræ fidē nō habituros uos existimē. Nam cū
operā diligenter dabo, ut dignitati tantū uestræ inseruire
me noscatis, tum mehercule perficiā, ut qua multorū ani-
mos dubitatione agitari certo scio, nostrā ne æquū sit di-
rimi, an ex integrō cōfirmari societate, hæc ne postea an-
gere quenq; posīt, & illam sentētiæ animoq; uarietatē atq;
fluctuationē oībus nunc prorsus eximā. Itaq; hoc primū,
unde tota nobis huius suscep̄tæ cause ratio exoritur, qd'q;
caput nostræ defensionis est, pluribus uidetur à nobis ex-
ponendū. Quot locis, q̄ diuersis atq; longinquis terrarū
undiq; partibus, iuuēnū hominūq; cuiusvis ætatis celebri-
tas, literarū legitimarū nomine huc quotannis p̄peret, quis
quæso n̄i hinc ad exteris ablegatus, aut tantæ literatorū
frequētiæ nescius, facile nō testetur? Et quoniā ex suorum
cōplexu ad alienos, à patrijs tectis ad ignotas ædes, ab hu-
manis ad barbaros (quid siquidē barbaros durosq; appellare dubitem, quibus est barbarie humanitas posterior?)
quoniā ab amicis ad infestos cōmigrat, num decorū immor-
taliū & hominū cōsensu singulari cōprobandū uideatur,
ut Gallus Gallū, Italus Italum, Hispanus Hispanū, patriæ
studio & insita ab incunabulis charitate incensus pro se
quisq; diligat: mutuaq; inter se omnes ad unū amoris cō
junctione

iunctione coēant, atq; implicētur? hinc senatus sollicitus,
 hinc Tholosa permota, hinc illæ nobis excitatæ tragœdiæ,
 hinc publicis decretis exercemur, hinc iudicū perfundimur
 sententijs, uidelicet quòd amemus, q; conuiuamus, q; alter
 alteri o pē spōte ferat. Deū immortale ubi terrarū sumus?
 Vbi gentū agimus: huc' ne Scytarū asperitas, huc' ne Getæ=
 rum barbaries immanitasq; prupit: ut sic humanitatē cru= deliter agitari, sic odio inique haberi, sic deniq; inclemen= ter expelli, hominū istæ pestes tantopere uelint: Facit pu= dor & exosa semper à me mentis effrenatæ suspicio, ut quo hic animi cuiuspiā elatioris cōmotiorisq; impetu, nec nō probrorū & cōuitiorū omniū acerbitate in illos per= opus esse facile quiuis unus perspicit, id tēporis mihi absti= nendū ducā, agamq; longe quidē cū illis mitius atq; mode= ratius, quā nos humanius suis iudicijs excipiēdos tractan= dosq; existimāt. Neq; sane cōmittam, ut eodē in respōden= do furore insania' ue rapiar, qua nos illi inseclādo amentia sœutiaq; frendēt, atq; præter omnē humanae cōditionis le= nitatē, ferarū crudeliſimarū immaniſmarumq; more, suis sentetijs uelut unguibus misere nos opprimūt, iugulāt, di= laniāt: tametsi quantū sint à māsuetudine remoti, documē= tum quālibet præbeāt, nō idcirco protinus faciā, ut aliqua pronioris ad cōuitia ingenij suspicione, cū Gallis cōunis mea modestiæ fama obscure aperte' ue lēdatur. Suā in illos maledicēti licentiam petulanter exerceat, uerborū in illos procacitate incurrat, cuius animū nulla cohībet uerecūdia: ego pudori cedam, nec huius fines ulla animi ægritudine prætergrediar. Sed quid tandē, aut ubi homines ineptissimi stultissimiq;, & ab omni humanitatis cultu longe remotis-

simi disputatione? nempe ut qui ad humanitatē & uitae cōiunctionem non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sunt, Galli scilicet ut in Gallia, quam à natura ipsa hauserunt, omnem humanitatis uim procul à se auersentur. An uero quisquā est, cui id non sit, ut quod maxime, exploratum, Gallos cū reliquā uirtutū omniū laude, tum uero perpetui inter se amoris ac mutuæ cōiunctionis fama, primas semper tenuisse? Quotū quenq; quæso, Gallis in hoc generē anteferre dicam uel cōferre, temere isti ipsi audeant? Iam mihi locus ullus orbis ue pars aliqua nominetur, ubi Galli in ea ratione non bene audiāt: Vbi item de humanitate uitæq; cōiunctione amati nō symme laudētur. Colligite animo agrestē duramq; istorū naturā: nūquid magnis illis uiris, quorū memoria propter uetusitate ex literarū monimentis remota est, uitio criminīq; uertere uideantur, quod dispersos quondā in agris homines, & in latebris sylvestribus abditos, unū in locū cōpulerūt? suaq; industria cōgregarūt? quodq; bestiarū more uagātes, & uictu ferino uitā sibi propagates, primū in ciuitatē cōnocarūt, deinde māsuetius uiuēdi ritu instruxerūt, tū amicitiae rudes, societas amicitiaeq; legibus inter se se cōiunixerunt? Hoc si nomine præclari illi humanioris uitæ cōditores laudibus debitis cumulātur, atq; apud nos deorū immortalium uim & numē tenēt, quo loco uitæ societatisq; hostes haberi cōuenit? quo numero eos esse par est? Tam profecto iure meritoq; fieri debere puto, ut omnibus probris obruātur, quā equū omnes iudicāt, amicitiae & ineundæ & colēdæ studiosos, laude perpetuo ornari. Quid illud sibi tandem uelle existimamus? Orestem & Pyladē, Theseū & Pyrithou, Achillē & Patroclū, Læliū & Scipionē, tam studiose &

ample cum à poëtis, tum ab oratoribus dilaudari? tanto= pere illorum amicitiam celebrari? In rem mortalium tot illis laudes ob amoris magnitudinem impertiuuntur, ut tam honestis exemplis incensi, et earundem laudum spe soli= citati, amicitiae nos dedamus, societatem ineamus, amore assidue contendamus. Inepte ridiculeq; nec minus scele= rate, Marcus Tullius, Latinè eloquentiae parens, librum in amicitiae commendationem scripsit, hominum barba= rorum iudicio si astipulemur, demusq; prohibendum so= cietatis cultum, et amicitiam eò à nobis ablegandam atq; amandandam, unde ad nos fama, nuntijq; posthac nulli accedant. Summa quoq; cum inuidia et reprobationis metu ciuitates, quibus tegimur et consistimus, ciuium, hoc est, hominum coitiones interpretemur, societatis no= men iure si inuisum sit, aut odio flagrare debeat. An non hic manifestam istorum asperitatem improbitatemq; per= spicitis? qui datos nobis à natura amicitiae igniculos, ex= tingui, qui præceptum nobis inter nos charitatis studium, reprimi, qui à cunctis comprobatum sodalitatis ius, dissol= ui cupiunt? Si mutuae inter se peregrinorum coitiones è medio tollendae sunt: si uetande, si damnande, cur non eodem, quo isti, supercilie et imperio Veneti Romaniq; peregrinos coire, et societatem inire prohibent? apud quos, Gallos, Hispanos, Britannos, Hibernos, Germanos, Pannones, Illyricos, Dacas, Sauromatis, Scytas, Getas, eos item, qui de Deo et rerum natura religioneq; nostra longe diuersa à nobis sentiunt, Turcas, Iudeos, Arabes, Indos, Aphricos, Asia, Epidauri, Halicarnassi, Cypri, Rhodi, Cretæ, Chij, Corciræ, Tingitanæ pro=

uincie incolas : ad hæc, Gothos, Danos, Sclauos, Pome-
fanos, Borusios, omnes deniq; nationes , sua peregrino=
rum iura & leges habere, libere conuenire, congregariq;
sine ulla reprehensione uideas ? Idem officij nobis , licet
ab illarum superstitione discrepantibus , Barbaræ gentes
referunt : Turcæ Christianos apud se conuenire non ue=
tant, uim nulli adferunt , peregrinos separatis legibus uti
facile patiuntur. Nobis uero, qui eadem cum illis religio=
ne utimur, qui eodem iure & ditione tenemur , quibus
idem penè est sermonis & lingue sonus, tanquam alienis,
conuentu, congregatione, coitione, amicitia, conuictu, so=
dalitateq; iudices Tholosani contra ius omne , atque fas
interdicunt. Quis hæc uiolentorum somnia, non siccо-
rum edicta, quis furiosorum intemperias, non sapientium
promulgationes, non arbitretur? Hic illi, qui sibi princi=
patum in legitimis disciplinis arrogant, nobis uel ex duo=
decim tabularū sanctionibus, legē, uel ex institutionū ciui=
liū, uel ex quinquaginta pandectarū libris, uel ex Iustinia=
ni Codicis uoluminibus senatus consultū ullū proferat, aut
plebiscitum, aut prætoris decretū, aut iurisperiti respon=
sum, aut principale edictū ullū , quo cuiquā amicē hone=
stæq; societatis ius uetitum probant. Et dubitetis ore im=
probo ac perficta gnauiter fronte, in eos omni conuicio
priuatim publice ue grassari ? qui propriam nobis atque
perpetuam amoris coniunctionisq; famam, & qua in cœlo
hactenus fuimus, humanitatis laudem nobis eripere detra=
hereq; conentur ? Prorsus ut si ad hanc existimationis
nostræ labem connuentes plus satis indormiamus , neque
quo par est animo , relicta nobis à maioribus ornamenta

nunc

nunc diligenter tueamur, uerendum sit grauiter, ne et antiquam nostram in hac re dignitatem amittamus, et ab amore (quod dij omen obruant) tandem foedissime abducatur. O' pestem : O' gallici nominis maculam, atque perniciem. Ecce uobis hoc imminet supra caput periculum, urget haec uos notae turpitudo, instat haec uobis labes, ac nomini uestro occasum grauiissimum, tristissimumque minatur, nisi ad suis fortiter animis, et operam studiumque omne sedulo nauetis, ut quo isti animosius pugnant, uestra ut disiungatur coniunctio, eò contendatis acrius, uos à uobis unquam ne distrahamini. Et quidem aliud si nihil, quo illorū diluatur argumēta, aut ab exēplis sumere, aut à disceptādi ratione ducere liberū sit, ad bruta ue diuerte re nos posse iure nostro negabūt? horū ne frequēti cōcur su ad rem nostram uti nefas esse opponent? quibus si id à natura tributum est, ut sui quæque generis ijsdem ferè latibulis delitescant, et per agros paßim errantia, amoris tantum impulsu, gregatim saepe misceātur, an bellus à natura datum, ab eademque nobis cumulatius atque prolixius cōcessum, præpostero suo quidam iudicio auferri eripiique iubebūt? an deteriori nobiscū iniquioraque cōditione suis legibus aget, quam à natura cū brutis actū omnes cernimus? Hic autē etiā atque etiā facite, ut cogitatione assequamini, quam nihil cōmune cū ratione habet, qui ad quod nos incitat brutorum familiaris frequentia, hoc à nobis insolenter extorquent, homines et sibi inimici, et ab humaniorum omnium necessitudine semouēdi. Atqui ut illorū partim malevolētiae, partim crudelitati satisfiat, quæ perfidiose colligunt, ut nefariam suam disiungendi nos cupiditatē utcūque occultent

occultent, animum, obtestor uos, omnes diligenter aduer=
tite. Parit hic amicitia confirmatus adolescentium coetus
sexcentas in urbe cedes, ruinam urbi incendiumq; indicit,
Virginum uix integra est castitas, noctu diuq; configi=
tur, nemini tutu salus, atroces ubiq; munæ, parata cuiq; in=
iuria, structæ insidiae, impetus, insultus, impressio. Quid ad
hæc addent atrocios, egregij isti seduliq; crimunum nostro
rum censores? Hic hic infestus prope signis in nos inue=
huntur, impetum crudelissime faciunt, instant comunus,
urgent summo cum studio, summa cum insania. Sed tamen
paulum reficimur atque recreamur, Viri amplissimi dum
ea iam nostræ defensionis fundamenta à me iacta, mali in
mentem uenit, quæ subsistent facile, id si ex animo uobis
non excidat, quod excidere non potest, nostram hanc so=
dalitatem, quam quoquo uersum intuemini, humanitatis
amicitieq; causa, non flagitiorū, aut uitæ scelerioris no
mine, tot ante seculis & à maioribus nostris prudenter
sapienterq; constitutam, & à posterioribus admussam, ad
hæc usque tempora fideliter religioseq; obseruatam.
Quamobrem causam non quiuis dicat, quin nos & plu=
rimis & firmissimis argumentorum exemplorumq; præ=
fidijs, uobis comprobantibus, istorum immanitati atque
intolerandæ barbariei, labore nullo resistamus. Obijciunt
primū, damna omnia, probra omnia, contumelias omneis,
huic urbi nostra societate adferri, nullum contra orna=
mentum accedere. Quod si aut quantum uoluntatem ad
nos exercendos habent, aut quantum ad nostram tradu=
cendam coniunctionem animum, tantum haberent, aut ad
ius seruandum, studij, aut ad uitæ societatem retinendam,

curæ

cire, uiderent profecto, neque adeo inuiti faterentur, si
 qua huius Vrbis laus est, fama ue quædam illustrior, no-
 stræ solum coniunctionis celebritate ali, & orbem omnem
 huius coetus numero longe lateq; peruadere. Quasi uero
Tholosæ nomen tenebris non iaceret sepultum, nostra
nisi frequentia aliquando in lucem prodijset. Quid au-
 tem hoc nos tam numerosa, tam stupenda multitudine, sic
 omnes nuxtim ab exteris locis perduxit & initæ amicitiæ
 societatisq; occasio. Quid hoc demum perductos, omni
 ludorum genere, uestium luxu, triumphorum amplitudine
 crebritateq; hanc ut urbem illustremus, incitat? Initæ ami-
 citiæ societatisq; occasio. Quid ut huius urbis laudi tam
 cupide studeamus, nos quoq; admonet? Initæ amicitiæ so-
 cietatisq; occasio: qua & plures congregati, & firmius
 inter nos coniuncti id unum molimur, ut cuius ciuitatis
 præsidio studia nostra colimus, ea ne cuiquam ullo digni-
 tatis ornamento cedat. Videte igitur, utrum hos insanire,
 an recte sentire uobis sit existimandum, qui dum sibi urbis
 huius existimatione antiquius nihil esse fingunt, illudq;
 probare omni ope conantur, qua tamen potissimum Tho-
 losæ nomen floret, sectæ nostræ institutis aduersantur, &
 nobis solitudinem dissidiumq; regia quadam autoritate
 imperant. In quo quia ridiculos & insulsois istorum sen-
 sus aspernari uos video, spe quidem sum optima, que
 postea in nos adferent, eodem apud uos futura loco, quo
 haec esse sentio. Agedum, quo interpretari modo nostram
 coniunctionem libet, nunc paucis perstringant. Hanc nie-
 mirum si profligatis animis, & scelerum omnium (quod
 isti perperam dictitant) impunitatis expectatione à nobis
 initam

Ortatus. J. rox
v. C. vnd

initam suo arbitratu probent, nec tanta quēquam occēcat
 amentia, ut mihi fidem dicenti habeat, nec ita admodum
 causarum huiusmodi iniquitate capior, ut defensionis hu-
 ijs consilium abijcere, uel recusem diutius, uel publice iu-
 steq; rem damnatam tueri solus admittar. At si sodalitatis
 nostrae rationem ita perpendimus, ut hanc amore profe-
 ctam, amoris ui quotidie magis magisq; augeri atq; serua-
 ri cōstet, nec hinc damnum ullum, aut iniurias in aliquem
 emanare putemus, emota eos mēte, ac de potestate exiſſe,
 nullus mehercule diffiteatur, qui nos ab amore arceri, à
 familiaritate abduci, & quasi alienos distrahi cupiant.
 Porro quid à nobis aut religione, aut morū integritate di-
 gnū, iure illi requirāt? amamus mutuo: an hoc naturæ lex
 ulla uetuit? cōgregamur idētidem una: id' ne paulo huma-
 nior improbandū statuat: diuum tutelarē stato festo coli-
 mus, rerū inopia preſi socijs, pecunia destitutis, calamitate
 aut casu aliquo afflīctis, diligēter adsumus, operā omnem
 studioſe præstamus, uita functorū corpora efferimus, elata
 ad sepulchrū comitamur, funebri oratione lugemus, exe-
 quijs quā poſsumus ornatiſſimis, pſequimur, num id san-
 ctum? num religiosum? num pietati ac Christianæ perſua-
 ſioni consentaneū? Quid quōd hæc ſoli iſti oderūt? Quid
 quōd hæc ab omnibus extra iſtos admittūtur? Quid quōd
 Aurelijs & probātur uehemēter, & laudātur nō medio-
 criter? Quid quōd Pictauij nō leuiori efferuntur ſtudio,
 quā grauiori feruātur cōmēdatione? Quod niſi hic tantū
sapi, illic uero & ubiq; desipi, ſex iſta hominum ſibi forte
induxit, an que & nobiliſſimarū & grauiſſimarum post
homines natos ciuitatum iudicio admissa comprobataq;
audiunt

religioſi

audiūt, suis deniq; sentētijs delere nō uerebūtur? An uos illic sanos, eoq; nomine, nos ab illis tolerari, hic autē insa nos eaq; causa, à se nō iniuria infestari putēt? Num tēpus aliquid? num aetas prouectior quicquā etiā adfert, quo libi dines iuuētutis deferueāt? quo uoluptati obstemus? quo uirute tantū acquiescamus? Fingāt nos Aurelijs sanos, Picta uij cōstantes modestosq; nos esse clamēt, num hic tamē saniores? num cōstantiores? num modestiores per aetate esse simile ueri uidebitur? Num illic plura primæ aetatis facinora edere, iuuētutis calor intemperatiq; stimulat? num hic singularia uirtutis documēta dare, ex cōstantia ex confirmati tempore mores subinde hortātur? A quo tamē, aut propter aetatis leuitatē, aut propter inanē aliquā uitæ dis= solutoris opinionē, nostræ sodalitatis statū illic cōculsum, illic labefactatū, sublatū ue audiū est? Neq; hoc planè ob eam prorsus, quā isti cōminiscuntur, causam, scilicet quod illic iura negligētius, hic diligētius obseruetur, illic nefarij mores remissius, hic severius coērceātur, quod illic omnī flagitiorū licētia, hic nulla impunitatis pollicitatio. Nihil huiusmodi est Viri amplissimi. Nam quis illic æque seuere uitæ flagitiosam reprimi, atque hic sceleratos atrociter teneri dubio procul non asserat? Sed qua sunt Aurelij Pictonesq; ingenij suavitate, quo amore, qua in omnes benevolentia, sodalitatis nostræ religionem intuentur: Tholosæ autem ut morosi sunt, ex ad omnem uitæ comitatem inepti, ut humanitate uacui, ut calumniæ, quā æquitas studiostiores, ipsam certe quidem illa, ut dirum aliquod monstrum portentūq; execrantur. Verū nūc cognoscite, quod ad orationis nostræ exitum dissoluendum nūhi proposita

posui, memoriaq; teneo, argumenti firmissimi loco nobis
 ab istis obiectum. Quid nostra, quod agunt, causa agere
 se confirmant: nempe, quas uidere est tot sepe inter nos
 rixas, tot turbas, tot tumultus moueri, quas pugnas iniri,
mora et re
estate.
 quas fieri crudelissimas cedes, quicquid conflatur inde
 periculi, quicquid exitij damniq; accidit, nostra omnino
 societate nascitur. Gallo siquidem aut alij cuius ab hoste
 læso, unde nisi à socijs subsidium, unde arma suppeditant?
 Quæ spes atque proposita ad casum omnem auxilijs expe-
 ctatio, non facile coniicitur, contentiones quām exitiosas
 acerbasq; excitet, certamina quamcrebra prouocet. Hasce
 turbarum causas tollere dum isti student, priuatæ sodali-
 tatis coniunctione nobis interdictum curant. Ridicula ca-
 pitæ: iam hoc uobis in dubium uenit, ut suo cuiusq; male
 pacato animo, ut priuatis domesticisq; iniurijs, ut mutuis
 offensionibus, tot rixæ oriantur? quas, ut fatear, soda-
 lium quandoq; consilio, armis etiam & manu aliquando
 sedari, ita nubi fidem nullus statim faciat, qua isti disceptat
 parte, tumultus ullius occasionem profici. Dicam qui-
 dem quod res habet, neq; quod nemo nescit, palam pro-
 fiteri dubitabo: cuius forte causa nonnullos interdum cæ-
 di asserunt, absque nostræ sodalitatis præsidio, non unum
 certe aliquem, sed sexcentos, in annos singulos aut gra-
 uißime uulnerandos, aut gladijs, ut plurimum, absumen-
 dos. Hæc una contentionum dirimendarum occasio, hæc
 una & conciliandæ, & retinendæ pacis facultas, in hanc
 nos coniunctionem uocauit. Quanquam non obscure
 nunc etiam uideo, quod isti, ne omnino uicti abeant,
 obijcere post cuncta conantur. Hoc tandem, inquiunt,
 animose

animose defensor telum à nobis excipe, hanc nostræ accusatiōis aciem, tuæ defensionis umbone retunde. Ex quo inter uos excitato tumultu, aut uulnera grauiſſima quisquam non accipit, aut morte confectus misere non cadit? Hic me quām absurdō argūmento premant, nunquid quæſo animaduertitis? Ergo ut conflagrantes incendio aedes proximis nīſi dirutis tectis, & plurimis abſcīſis ab imo tignis, ab incendijs calamitate ſeruari nequeunt, ſic in- censis Gallorum, aliorum' ūe in hō ſtem animis, aliquo nīſi occido, aut nonnullis grauiter uulneratis, digladiatio componatur? Agitur, ita uiuam, præclare nobiscum, eſtq; quare hanc nostram ſodalitatem in perpetuum diligenter obſeruemus: qua tot à nobis propulsantur incommoda, qua ſaluti noſtre tam pulchre proſpicitur, qua res noſtras ab omni danno atq; iniuria incolumes ſartasq; te- cias tuemur. Et audent, ſi dijs placet, ab illa nos auocare: ipſi tanto barbaris omnibus immaniores, tanto uestris rationibus iniquiores, quanto uobis eſt ſtudiosius in cum- bendum, hanc ut eorum ſententiam, & animi constantia, & aſiduo humanitatis cultu, animose perfringatis. Sed quid ego iſtorum ineptias pluriſbus persequor? perinde, quaſi ignoretiſ, aliud quicquam ab ijs decerni poſſe, quām ad quod & natura, & moribus facti atque instituti ſunt. Diſſidium uitæ ſolitudinemq; intelligo, ad quam uos dum trahere laborant, uestro amoris ſtudio dolofe infidiantur, & infandas barbarie ſortes flagitioſe intentant. Quæ cum ita ſint, pergit eſt cœpistiſ gradu, & coniunctim ſemper amanterq; uiuendi conſilium ne deponite. Audiſtis, puto, quæ ab illis ad nos diſtrahendos allata, tem-

poris angustijs præceps, perpaucis, quoad potui, supra
 modo refelli, plura certe atque acriora dicturus, id nisi
 cum sponte uidissim, tum essem ab amicis amantissime fi-
 delissimeq; præmonitus, quanta tempestas inuidiae mihi, si
 minus in præsens tempus recenti huiusc popularis defen-
 sionis gratulatione, at ab illis in posterum impenderet:
 quorum amicorum adhortationem ut non omnino mihi
 aspernandam putau, sic nec in hac parte gestus est prora-
 sus uoluntati meæ mos. Nam uix iam cum hominibus mihi
 esse negotium suspicabar, in quos si iuste meæ indigna-
 tioni obsequens, aut stomacho et iracundia effruescens,
 asperius quicquam scriberem, equidem non defuturos
 sciebam, qui etsi æquitatis iustitiaeq; obseruantissimi et
 dici et haberi uolunt, à me tamen poenas repetere, et
 oppresione me funditus euertere maluissent, quam arte
 dicendi mecum disceptando certare. Verum si in hoc
 me uicerint, ut timiditate fractus, quam depellere non
 potui, eos uoce minus intemperanter uexarim, capiam
 hunc saltem ex mea modestia fructum, ut sine fame pe-
 riculo, sine capitidis discriminé, et constanter pro rei ua-
 rietate dixerim, et cause æquitatem aperte uos docue-
 rim. Sentiant modo fractam uim suam: sentiant contem-
 ptui habitas latas à se aduersum nos sententias, neglectam
 suam autoritatem intelligant: Vosq; animum paulum col-
 ligite, et quod facitis, omnis in hoc à uobis ponatur ope-
 ra, ut qua antea semper et amoris coniunctione, et stu-
 diorum societate uixistis, in eadem uel extremum ducatis
 spiritum: quæ in prosperis rebus uoluptatem, in aduer-
 sis opem, in infirma ualetudine præsens utique à sodali-
 bus

bus substdium pollicetur. Taceo quām firmæ hinc concia-
lientur amicitiæ, quām illustres gratiæ comparentur: quas
cum nullum unquam tempus absentia'ue obterit, tum uer-
bosius dicere necesse in præsentiarum non habeo, quan-
tis studijs hinc aliquando profecti, huius sodalitatis me-
moria, alijs quidem alijs, aut in honorum petitione, aut in
quærenda bonorum accessione succurrant. Nunc ad me-
nicio, uiri amplissimū, quem in hanc uelut familiam à uo-
bis adoptatum, quæ uirtutum insignia, quām eximius ho-
norum splendor uestra ope ornauit: qua officiorum am-
plitudine estis omnes certatim complexi? Qua in re si pa- 25
rum cumulate uobis gratias egero, per fortunas, ne nubi-
ueratis potius crimini, quām uestrorum erga nos merito-
rum prestantiæ tribuendum putetis. Ea est siquidem offi-
ciorum, quibus me deuinxit, magnitudo, illa ut gratia
assequi modo nullo possum. Quid multa? Non uos Doleti
clarum præ ceteris nomen, non uos fama diffusior, non
uos rarum aliquod, aut præstans Doleti eloquentiæ ge-
nus, in eam mentem perpulit: sed uester ille singularis
erga me animus, & amoris inaudita præstantia eò uos
adduxit, ut uix de facie notum, nulla nominis celebritate
cognitum, fama nulla illustrem, nulla doctrinæ insignem
laude, atque adeo ab omni eloquentiæ & dicendi facul-
tate male flagitioseq; instructum & paratum, illos ad ho-
noris gradus euehendum duxeritis, ad quos nisi & no-
mine amplissimo, & eruditione eximia liceat prorsus ad-
spirare nemini. Vos igitur amor, & quām satis est, maior
uestra de me opinio, ita tandem incendit, ut à uobis tanta
mibi accesserit dignitatis amplitudo. Et quando meam re-

bus uestris delatam operam, studiumq; nauare meum, ut
 qui officiosissime, uolui, ijsq; quicquam denegatum no-
 lui, quorum neq; autoritatem negligere, neq; uoluntatem
 aspernari par erat. Amore uestro beneuolētiaq; adductus
 negotij plus suscepi, quam explicare me posse principio
 sentiebā: quod tamen uestro plausu parte ex aliqua suble-
 uatus, subij, ut potui, studio et diligentia, neque animo
 quoquam loco defui, et onere officij opprimi uisum est
 potius, quam quod à uobis mihi honorifice delatum est,
 aut fastidiose lenteq; prosequi, aut propter ignauum in-
 firmumq; animum imprudenter detrectare. Quapropter
 cum eximiae uestræ in me uoluntatis et beneficij memo-
 riam sempiterna colam præstaboq; beneuolentia, tum id
 modo uos uehementer etiam atque etiam obtestabor, ut
 hoc decurso oratorij nostri muneric tempore, uobis à
 me omnia non minus confidenter polliceamini, quam ut
 uestrae existimationi addictum me antea existimarem,
 mei me officij partes ratioq; hortabatur. Sed quid à me
 finem dicendi facturo uester iste animorum oculorumq;
 contitus postulat, quid me à discessu reuocat? Sanè hoc
 illud est, quod in more apud uos positum non meminerā,
 ut ad extreum uos orator consuetudine magis, quam
 quod opus sit, ad uirtutis studia incendat. Itaque sic uos
 omni uirtute ornatiſimos ad uirtutem laudemq; horta-
 bor, incitabo, impellam, hoc uos sermone, hac uos oratio-
 ne, uirtutis cupiditate æstuantes inflammabo, sic uobis cur-
 rentibus stimulos admouebo. Animum ad maiorum imita-
 tionem excitate, uincere obnixe contendite auorum ue-
 strorum egregia facinora, ad maiorum gloriā, uirtutem,
 nomenq;

nomenq; adspirate, qui laudem, qui gloriam, qui famam
 quæritis, ea ampla sunt & immortalia, ea diuina, ea fama
 perpetua celebrantur, animalium monumentis mandan= *animalium*
 tur, ea tametsi tempus omnia uetusq; conficiat, poste= *notis gallois*
 ritati propagantur, glorie & famæ seruite, nominis im= *notis gallois*
 mortalitati incumbite. Nihil humile, nihil ieunum, nihil
abiectum, nihil angustum, nomen Gallorum sonat: Gal= *notis gallois*
 lici nominis amplitudinem, animi magnitudine præstate,
 Gallici nominis splendorem, Gallici nominis celebritatē,
 uirtutis ubertate exprimite. Non cadit in Gallorum mo= *fortes ex tua*
 res, ut relictæ laudis uia, & honoris neglecto studio, ui= *forte*
 torum se illecebris, aut uoluptatum lenocinijs dedant.
 Exuite, si qua uobis est, que certe nulla est, abijcite animi
 mollikiem, uirtutem amplexemini, & maiorum gloriæ re= *fortes ex tua*
 spondete, omnibus documentum daturi, Gallos & animi
 excelsi laude, & literarum nomine, cunctis multo ante= *forte*
 celluisse semper, nuncq; longe antecellere. Multum est à
laudatis duxisse genus, multum est, tam claris suis ad ho=
minum famam existimationemq; euolasse: plus tamen ad
metas non hæfisse, plus, acceptam à maioribus gloriam,
plus, decus non minuisse, sed accessione auxisse non mini=
ma, maiorum nomini tenebras non offudisse, multum est,
splendorem attulisse, longe quidem plurimum. Iam omni=
bis & naturæ, & studiorum ornamenti in structiores,
uobis proponite, cui hominum expectationi, cogitate,
quanta opinioni satis sit à uobis faciendum. Hanc ut
tueamini, hanc ut sustineatis, animum diligenter aduerti=
te, id uidete, id omni cauete opera, ut non uideatur facul=
tas uobis, sed animi desuisse altitudo. Vos in laude poni

percipit patria, gloria uos florere exoptat, cui dicto du-
dientes, cuius uota non aspernati, ea uirtutis edetis exem-
pla, eam demum gloriam, laudem, famamq; consequemini,
quæ maiorum nomini, quæ maiorum amplissimæ et præ-
stantissimæ existimationi modo sit nullo cessura: quam
posthac intuebitur æternitas, de qua nulla unquam ætas
conticescet. Vobis hæc igitur spes, imo uero quam in ma-
nibus habetis gloria, hæc laus uobis turpiter non ela-
batur, negligenter non excidat. Vestrum est hoc
munus, uestræ partes, hoc à uobis, qui
et generis uestri nobilitatē norunt,
et glorie uestræ fauent, non
expectant solū, sed etiam
postulant: hoc uos
patria flagitat,
hoc à uobis
exigit,
hoc
precibus
et gratia contendit.

S T E P H A N I
 DOLETI ORATIO SE-
 CVNDA IN THO-
 LOSA M.



ON dolorem mihi, grauiorem'ue
 animi perturbationem adferret le-
 uissimi hominis ineptissimiq; ora-
 tio, si quem apud me locum tenent
 obtrectatorum istiusmodi conuitia,
 eodem esse apud uos pondere mo-
 mentoq; arbitrarer, ac quanto ea
 magis risu, quam stomacho offensioneq; excepti, tanta
 uos & animi grauitate negligere, & constantia asper-
 nari putarem: qui si uel ex hoc ipso, quod nunc illi plu-
 ribus respondentum duxerim, nonnihil fortè commotus
 uidear, defendet me cum meæ existimationis ratio, tum pa-
 triæ suscepta causa excusationem mihi dicenti parabit. Vos
 autem quid uel ab assentationis suspitione vindicabit, uel
 cum scelerata insectatoris nostri procacitate non conue-
 nire probabit, si ab illo temere mihi obiecta, aut aperta
 protinus obscura'ue dissimulatione confirmetis, aut ea me
 refellentem studiosius non amplexemini? Ac quia res ple-
 rique stulte, non iudicio æquoq; sensu perpendunt, & in-
 iurijs onerato maculam confessim aspergi, non conuitia-
 tori labem ipsam hærere iudicant, hac ne'ue diutius opi-
 nione labantur, né'ue hosti sit perpetua insolescendi facul-
 tas, infirmabo, quæ nec impudenter de me prædicare ue-

ritus est, nec planè hostili animo carent: quanquā quanta
 hic anxietate premar, quam uarie grauiterq; afficiar, no=
 uerit facile, qui me minime omnium cupidum conuitian=di,
 laudandi uero plus cæteris studiosum intelligat. Recu=
 sat ingenij nostri mansuetudo, quod iracundia, acceptæq;
 iniuriæ acerbitas suscipere me perpellit. Detrectat animi
 mei lenitas, quod inimici asperitas mihi non libenti impo=
 nit. Quo me tandem uertere? quid me primum, aut ubi
 iam par est conqueri? Morum suauitatem cum existima=
 tionis iactura tuear? humanitatis famam cum nominis labo
 sustineam? ingenium meum cum dignitatis oppressione
 retineam? meam'ne in maledictis ridendis consuetudinem,
 tam aspere oppugnatus præstem? tantam'ne patientiam,
 dij boni, tantam moderationem? tantam in iniuria tran=
 quillitatem animi & modestiam? Vulgi conuitiosis uoci=
 bus passim aureis mihi personare æquo animo feram? tri=
 uialis grammatici strepitu loquacitateq; superabor? quem
 nulla cuiusquam audacia (ut suis se gregalibus inepte uen=
 ditat) quem nullus aduersarij impetus, quem uis nulla con=
 uellit? Ego imperito rudiq; declamatori literarum con=
 tentione cedam? Ego tam imbecilli obtrectatoris petulan=
 tie non animose obſistam? In eam me sententiā, uel quo=
 rundā fortasse preces, uel inimici usq; adeo ignobilis abie=
 ctiq; fastidiū, uel studiorū communū societas adduceret,
 si quam libenter literarū causa, omnia & uolo, & priua=
 tas etiam simultates interdum depono, atq; obltero, tam
 uehementer sibi me parcere ille expeteret. Verum quis
 placate ferre omnino queat intermortuum concionatore
 (memoria enim tenere uos opinor, quam tremula exiliq;
 uoce,

uoce, quām inani latere in nos proxime incurrit) inter= mortuæ concionis actione tam insolenter superbire? tanto fastu inter plebeios, & imperitam Vasconia*e* iuuentutem intumescere? Quousque iniquos de me maleuolosque sermo= nes dissipabit? quousque me clanculum oppugnabit? quo= usque abutetur patientia nostra? quām diu hæc à me impu= ne laturum se sperabit? Iam hic nobis excutiendi erigen= dique; aculei, hic orationis acerbitate opus, hic intendendi nerui, hic quicquid mihi longo labore atque exercitatione aſſida in dicendo quæſitum est, profundere non cessa= dum. Sentiat modo ui præditum, quem ui carere putavit. Necessariò à me sibi responsum arbitretur, qui nos ultrò iniuria laceſſuit, qui nulla nos causa in capitibus iudicium pertraxit, qui nullo probabili argumento in contentio= nem uocauit. Quorsum hæc? quorsum? uobis ut testa= tum principio faciam, hic me inuitum conuictiori conui= tiari, hic me propellere, non inferre iniurias, hic meam me= meorumque existimationem defendere, nō alienam lædere, hic me nomen tueri meum, non cuiusquam famam labefac= stare. Qua in re, si, qui mihi quæ uoluit maledixit, idem ipse à me quæ nolit, audiat, non grauiter patietur, nec me in idem procacitatis uitium incidere ob hanc rem exi= stimabitis, sed mutuam obtrectatori, qui uiam nostræ ira= cundiae suis maledictis patefecit, relatam à me gratiam. Neque uero paruam exigui temporis usuram in hac mea defensione æquissima certe illa atque iustissima à uobis ambitiosius postulabo, qui insectatorem nostrum tam mul= ta tamque absurdæ effutientem, non Latine candidoque ani= mo dicentem, uel sesquihoræ ſpatio exclusum noluistis.

Spem siquidem ingredior, si ad aures uestras aditum habuit, uosq; languentes & audiendi satietate defessos, falsa sua inertiq; oratione utcunq; ad extremum retinuit, uera paucis dicturum, uos me benigne attenteq; audituros. Nam quo uos ille uerborum undiq; collectorum strepitu, & inani sono obtudit, diu mehercule non tenebo, ut pauca paucis exponens, & argumentis breuissime, quoad eius fieri poterit, diligentissimeq; discussis meam uobis defensionem probem, ac in quam me accusator apud uos adducere contendit, inuidia prorsus ipse liberer. Nunc te bone uir, nunc te uoce appello, nunc te oculis requiro, nunc id ex te sciscitor: quæ tibi causa tam petulantis orationis fuit? quæ tibi tot conuictorum cum in me separatim, tum in Gallos omneis communiter occasio? Hominis si coram præsens adest? uultum intueniri, os impudens confpicite, crimen facie agnosceret, frontis uarietate, animi perfidiam fatebitur. Quid ait? hic ne mihi (quandoquidem meam prius causam discuti decreui) quicquam uel iniurijs, uel molesti, à me accepisse obijciet, quod suam uel à nobis uoluntatem alienare, uel leuiter offendere quoquomodo potuerit? Obtestor uos, uiri amplissimi hic mihi fidem uestram non grauatum præstate, hic locuples ueritati testimonium afferte, quam diligenter à me data sit semper nuncq; detur accurate opera, ut non quenquam unum aut uerbis, aut facto ad odium inimice prouocem, sed uel malevolentissimos quosq;, & suapte sponte gratisq; nobis insidiantes, officijs in primis leniam, & mihi omnes amantissime conciliem. Vobis etiam ante oculos ponite consuetudinem illius perpetuam in maledictis congerendis

gerendis, meam tantum in repellendis. Id quod cum ue-
rum non inficiamini, nutuq; & gestu non obscure indica-
tis, sequitur illud, ut coniectura quiuis nullo maiore nego-
tio assequatur, quam iniquo, quam profligato, quam in-
uido deniq; sit animo, qui nulla causa odium inimicitiasq;
suscipiat. Læsum tamen illum oportuisse negaris, qui non
meam famam obteri, sed salutem opprimi euertiq; uoluit?
qui non meæ orationi respondere, sed senatum in me cō-
mouere incendereq; studuit? At quæ isti causa tam cru-
delis in me odij? ut suos omnes in nostram perniciem co-
natus tam flagitiose pararet? ut in me tam atrociter de-
baccharetur? ut me capitalis criminis postularet? ut me
iudicio circunueniri optaret? Quòd de illo cum locus
tempusq; tulit non honorifice prædicarim? at nihil ha-
ctenus pugnaui certe magis, quam dum doctos sermone
meo priuatim publice'ue celebrarem, laude illum aliqua
non inuitus illustrarem. Quòd illius existimationem infâ-
marim? at nihil à me factum est unquam minus. Quid
igitur hominem fronte philosophum, grauitate, ut præse-
fert, non uulgari, etate quoq; affecta & penè decursa, sic
demum à sana mente abduxit, ut maledici nomen subire
maluerit, quam quæstam diurna morum improborum
dissimulatione, ingenij moderationis famam, perpetuo cō-
seruare? facile hic aliquis respondeat: quid? mala mens,
malus animus: qui quam libet dissimulationis integumen-
to, & taciturnitatis impostura comprimatur, emergit ta-
men aliquando obiecta tempore longo pestis, erumpitq;
proterue naturæ uirus. Colligit mehercule recte, quisquis
hæc obtrectatori nostro maledicendi argumentum præ-
buisse

buisse suspicatur. Huic primum mentis prauitas, tanti furoris autor fuit, impulit hunc animi male sani impotentia, ut me Gallosq; oratione perstringeret. Veruntamen quid hunc maxime mouit, ut me unum ex multis sibi laceſſendum proponeret, id si non hoc loco alienum uideatur, meq; raptim nonnulla de me ipso interſerentem audire, uobis non molestum sit, altius certe repetam, et fontes nostræ contentionis aperiam. Ego cum ad eloquentiæ ſtudium (qua uia humiles emergunt, quo multi ſæpe noui homines et honore et gloria floruerunt, quod nos in ampliſſimo gradu dignitatis locare ſolet) totum ipsum me usque à pueris contulerim, et ad ſapientium prudentiūq; imitationem incitatus, ingenio et uirtute illustrari præſtantius duxerim, quam re ulla alia mihi nomen parari, perfectum eft à me industria, ut ab ijs uirtutum fontibus profluxerim ad hominum famam, et tam honesta pulchreq; instituta uitæ ac ſtudiorum meorum ratio, ad mulitorum existimationem paulo latius uestra mediufidius commendatione dimanarit. Peperit meus is labor mihi etiam laudem, qua me cum doctis, quibus licuit, diligenter adiunxi, tum cuius celebritate non omnibus ſim prorsus ignotus. Huius præſidio illuſtrior, cum cauſam non ita dudum in ante diem ſeptimum, Idus Octobres, Vobis magno silentio audientibus, dixiſsem, partim nonnullorum gratulatione popularē, partim multis acerbam, qui ſe à me grauiter læſos fingunt: ecce uobis mihi hic ex omnibus de repente iuſurgit, non tam in dicendo exercitatus, quam conuictiosus orator: iniuiā iam mihi conflat, periculum ſuis ad ſenatum adhortationibus creat, nomen no-

ſtrum

strum eleuat, in me ira cumulatur, furit atrociter, debac-
 chatur impotenter, disrumpitur insolenter, diem mihi
uelut affini rei capitalis dicit, actionem intendit, iudicio
perfundit: illi modo sordemus, eidem modo probamur:
 me modo disertum, mox item infantem politiorisq; hu-
 manitatis & Latinæ facundiæ expertem uocat, atq; omnē
 mihi ingenuarum artium cognitionem adimit: à me mo-
 do ut à potentissimo aduersario non mediocriter timet,
 me rursus ut parum acutum & rudem argumentorum ri-
 det: nunc me in maximis & primis, postea in minimis &
 postremis ponit, ac nullo esse neque in pretio neq; in nu-
 mero putandum magno clamore iurat. Monstrum inau-
 dita mentis uarietate conflatum. At nostra redeat, unde
 digressa est oratio. Causa, quam supra commemorau, à
 me, ut ostensum est, dicta, quanta accessio & nominis &
 famæ nostræ facta sit, ignorat nemo uestrum. Porro pro-
 fessus est ille, quod ad me, quos habet in intimis & fami-
 liaribus, pertulerunt, Doletum bene antea semper, orna-
 teq; dixisse, sed tum primum à se illa oratione superatum.
 Cupiit tamen homo tam uarius, quam recti nunquam con-
 filij, me ipsum, à me, ut prædicabat, superatum, non dicen-
 do superare, sed maledictis frangere. Superari me posse,
 Pinachi, ab eloquentioribus, neque sanè dubitem, neque
 planè doleam. Vnum illud tantum me quidem pungit,
 quod cum unà mecum nulla offensione dicendo certare
 posses, & me etiam contendendo retinere, contumelijs
 agere tibi fuit antiquius. Quod à me forte fuisset æquo
 animo latum (ut procacium maledicta nihil facio) si me
 tantum offendere, non Galliæ laudes, quibus mihi nihil

charius

Pinachi

charius atque iucundius, ore improbo eleuare libuisset.
 Multum te tuosq; qui te in oculis ferebant, qui tanto tibi
 risu & plausu gratulabantur, fefeller opinio. An cum me
 tua oratione subinde compellabas? an cum me tuo more
 lacessebas? non te à me uicissim compellandum, non istud
 me tibi repositurum sperabas? An cum in Galliam tam
 multis uerbis inuehebare? an cum Gallos omni dignitate
 spoliabas? an cum nos iniuriarum patientissimos, stupi-
 dos, tenero animo, demissio, ieumo, angusto, molles, deli-
 catosq; uocitabas, securus nobis delicias faciebas? An me,
 qui Galliæ nomē nō laudandū solum perpetuo, atq; scri-
 ptis posteritati cōmendandū, sed ab omni iniuria & labe,
 pro uirili mea parte defendendū suscepi, sic nullius sensus,
 aut ita animis cadere, frangiq; tua insectatione credebas,
 ut si unquā antea in ullo genere officij, meā patriæ operā
 delatam optarim, nunc illi, cum oppugnatur, non omne
 nauare studium apprime contendam? Incendit me patriæ
 charitas, inflamat me Gallici nominis amor, ut mīhi Gal-
 lisq; adesse, non officio deesse, nunc maxime uelim. In
 quo quād dissimilis sit mea ab illo ratio, quād diuersa
 utriusq; conditio, quād iusta mea causa, quād illius ini-
 qua, uel luce clarius perspiciat, à me qui patriæ parteis
 foueri, qui patriam à me omnium nobilissimam laudari:
 ab illo contra terram alienam prædicari, ciuitatem omni
 laude indignam celebrari, populum ab omni humanitate
 remotum, laudibus efferri audiat. Vanus uana commen-
 dat, quæ nulla officij accusatione pretermitti licebat.
 Ego in laudatione uersor, quam ex humani & diuini
 iuris æquitas à me patriæ præstari postulat. Ego patriam
 ample

amplector, quæ me ipsum genuit: ille ciuitatem deosculatur, ex qua nec genus duxit, nec beneficium accepit unquam ullum. Ego patriæ gratiam refiero. Ego, quæ me fuit, ego, quæ me aluit, patrocinium suscipio. Ille, cui nihil præter habitationis uictusq; commoditatem debet, ridicule Tholosam tuetur. Ego officio seruio, ille supervacanæ loquacitati uacat. Nisi forte, qui barbarem ciuitatem defendit, eo se nomine ipsi deuinctum putet, quod barbarus natus, et ab omni ingenij suauitate alienus Tholosæ nouam hauserit barbariem, haustam seruarit, seruatam protulerit, et barbarum humanioribus obstrepare, Tholosæ nemo ullus improbarit. Istud ipsum est, quod omni alia iusti in me Gallosq; odij et uituperationis causa destitutum nebulonem impulit, ut suæ audaciæ morem in hac re gereret. Non me quidem clam est, hoc porrò de conuiciatore nostro iam ubique ab omnibus iactari, constantiq; fama percrebescere, quod uos simul auditione accepistis: illum, præter animi levitatem, et inanæ gloriæ cupiditatē, uulgari aliqua mercede à suis soli citatu, et cōductu, aut profusa, ut fit, intempestiuaq; commissatione excitatu, ut nō siccus, sed uinoletus, et ad calorem disertus, tantu facinus, nō animo solu conciperet, sed in frequetissimo doctissimoru grauissimoruq; uiroru conuentu, nullo pudore promeret. Induci ista mihi suaderiq; facile paterer, nisi quod à primo cōstitutu uolui, ut quæ obstructatori meo labē fœdiorē impingeret, tacitus penè trāfirē, hic me cōmonefaceret, ut remisse potius et leniter et urbane cū illo ageret, quā seuerē, et grauiter, et prisce. Quod si meo nimis stomacho indulſisse me, aut posthac indulgere cēseat, nihil facile cauer, quin mihi hæc uertatur

crimini, & illū procacitatis suspicione aut cōfestim subleue
 tis, aut omnino liberetis. Nā alterū nō recusabo, alterum
 recte à uobis factū cōfirmabo. Sed cur tamē id cū aduersa
 ria nō expostulē? cur id nō sine reprehēsione doleam? in
 quo omniū causam tueri, in quo statū uestrū penē inclinā
 tem & labantē sustentare conabar, tanquā parte Aquita=
 norum deserta, parte Gallorum defensa, tam acerbe me à
 calumniatore agitari? hanc' ne modestiam uorare sine do
 lore possim? quo labore fructus laudis non minimos ca=pturum
 me sperabam, ob eundem existimationis mee flo=res uelut tetris inuidiae dentibus tam petulanter infringi?
 Quid me turbulentे declamator agere tum putabas? cum
 nos Tholose edictis, Legibus, Senatusconsultis, seuerē
 nimium coērceri, & iniquē ſepe distringi, publica ora=tionē
 querebar? An ita id temporis tuæ aures peregrina=bantur?
 an tanta occaēcabaris amentia? ut me Gallorum
 magis, quam Aquitanorum, quam Britonum, quam Hi=ſpanorum,
 quam tuam ipsius causam defendere, aut exau=dires, aut sentires? Est quisquam qui flagrī dignam tuam
 audaciam mihi non assentiatur, qui paulum modo inurbānum
 iniquumq; ab urbano, & aequo ſecernere didicerit?
 noueritq; que in omnium ſalutem & libertatem tam offi=cioſe & amice, quam luculente & probabiliter uerba
 ante feceram, gratia excipi debuisse, ob que tu odium mihi
 intendis? & negotium ingrate exhibes? Hic autem uo=bis
 Aquitani ſemel hoc à me dictum atque confirmatum
 mūrfice cupiam, ſi aliquando excitata inter nos rixa, ex
 graui rerum perturbatione, uobis odiosius obſtare uifus
 sum, aut ſi mox asperius in uos quicquam ardentius ue
 prolo

proloquar, tempori me obsecutum, et me mee modo
orationis argumento cedere. Dispeream si aliter loquor,
ac sentio: ego Aquitani et uos unice complector, et
uestre dignitati laudique, ut qui maxime, studeo. Non tam
occultum habui meum erga tuos animum, Pinachi, non
tam obscura fuit nostra in te uoluntas, quin et tui et
tuorum, omniumque generatim defensionem a me suscep-
tam senseris: quin me etiam non Gallorum tantum rebus
consulere facilime perspexeris. Sed aliena fraudulenter
et scelerate detorquere inuertereque conanti, quis calum-
niae locus non pateat? Placuit tibi in oratione nostra uer-
borum ornatus, satisfecit sententiaram grauitas, mira fuit
actionis uehementia, aequitatem solum causae desiderasti.
Quæso te, hic mihi unum hoc explica, hunc mihi scrupu-
lum dubitationemque exime. Tibi ne iniquam causam no-
stram statuis? tuis ne aduersam censes? senatus ne auto-
ritati audaciis refragari existimas? Evidem, si eam cau-
sam iniquam tibi, si tuis aduersam uocas, qua tuus tuorumque
status, qua libertas, qua tua tuorumque dignitas, et fama
defenditur, iniquam tibi tuisque causam nostram non nega-
bo, nec quin me eam ob rem omni conuictio laceres, depre-
cabor. Sinautem eam iniquam diffinias, que maledictis
afficit, que probris obruit, que agitat, que pungit, que
mordet, que ledit, haud dubie nihil istius generis causa
nostra agnoscat, nec eo nomine tibi illam parte ex aliqua
iniquam merito appellabis. Te siquidem, Aquitanosque o-
mneis, perinde ac Gallos, nostra sum oratione tutatus, et
quod te laederet, uerbum mihi excidit prorsus nullum. Fac
hero, quod nolim, neglectam a me senatus autoritatem,

fac decreta contempta, fac sententias à me sciente ex pundi
 dente conuulsas. An idcirco nubi induceris, datum tibi
 à senatu negotium, ut tam ampli ordinis potentiam, tu
 umbratilis homo, tu tam obscurus, tu tam contemptus,
 & despicatus, tu tam abiectus propugnares? Quæfisi
 antea de me, quis senatus decreta infirmet? quis se rei
 tantæ autorem, quis ducem offerat? His me uocibus ue-
 hementer affici, his me à tergo, à fronte, à lateribus te-
 neri, horum me uerborum laqueo circumretiri putas. Tu
 m iam deinceps furiosissima illa tua eiulatione gra-
 uius asperiusq; incensus, tanquam collectis iudicium iura-
 torum sententijs, ob proditam patriam, uel factam in
 eam ipsam coniurationem damnatum me, aut obtruncan-
 dum, aut de saxo aliquo præcipitandum, aut culeo in-
 futum in profluentem deuoluendum, aut saltem exilio
 mulctandum effrenate pronunciasti. Nunc par pari re-
 fero: at ita tamen ref ero, ut meæ modestie rationem ha-
 beam, & abs te id solum iure uicissim percunctor. Quis
 labefactatam senatus autoritatem defendit? Quis senatus
 dignitatem restituit? quis decreta uindicat? Existe noue
 senatus propugnator, hic fer pedem animose senatus
 decretorum uindex: tuis nos abditis horridisq; oculis,
 tuo nos agresti uultu, tua nos promissa barba, tui nos
 oris impudentia, & uoce impura terre, in carcerem ra-
 pi, in uincula coniisci iube: tristi me illa litera iudices de-
 figent, salutaris electa est, præsto lictor, accinctus carni-
 fex, parata tormenta. Hic'ne uobis risum? hic'ne uobis
 stomachum mouet? hominis tam elati furor? Scilicet ex-
 citatus ab inferis nouus hic Fabius, non prudenter cun-
 flando,

Etando, sed proterua lingua maledictisq; pugnando,
Tholosæ restitut rem. Nouus hic Tullius, senatus am-
 plitudinem autoritatemq; tuebitur. Centuriatis ob hanc
 rem comitijs, Pinachi, prærogatiuæq; classis suffragio,
 his pro tuis diuinis & immortalibus meritis consul desi-
 gnabere atque renunciabere, honores tibi exquirerentur,
 atque habebuntur, gratiæ singulares publicè referentur,
 manet te triumphus, aurea statua tibi in foro struitur.
 Macte uirtute, rem acrius urge, affecta, confice, obstupe-
 scet te posteritas, omnium admiratione in coelo eris, im-
 mortale te nomen gloriaq; excipiet, tantorum conatum
 laudem nulla obruet, inobscurabit'ue obliuio, nullus ho-
 minum interitus extinguet. Riderem tuas hic ineptias,
 nisi hoc mihi prius ridendum foret, te tam stupido atque
 hebeti ingenio, ut cum me lacessere, ac nomini meo oblo-
 qui summopere uelles, quemadmodum Catonem Cæsar,
 præter animi sententiam, non uulgariter commendaris.
 Nec profecto enim video qua me macula contaminaris,
 aut quam mihi notam inieceris, dum me religiosum Ci-
 ceronis imitatorem contumeliose exclamasti. Fuit ille, fuit
 ille mihi honestissimus dies quo à prima adolescentia,
 quam uehementer optaui, sperare tamen meus me pudor,
 & pusilli ingenij conscientia prohibuit, illustri tuo testi-
 monio fama mihi nec opinanti obuenit. Quid me per
 deum immortalem lautiæ? quid pulchrius? quid denique
 beatius? Næ bellus, atque supramodum benignus homo
 es. Tribuisti ultro, quod unum molior, quod studio per-
 petuo adipisci labore: nempe ut ad Ciceronianum di-
 cendi genus mea scribendi ratio directa formataq; uidea-

tur, & aliquam illius speciem mea oratione adumbrem,
 non ut eius uirtutes, & laudandam magis quam æmulan-
 dam eloquentiae sublimitatem exprimere, aut asequi me
 posse confidam. Quòd si per omnia scriptorum genera
 inconsulte nostri temporis oratorum exemplo uagarer,
 nec aliquem unum mihi imitandum proponerem, aut si
 tuo Batauiq; rhetoris iudicio inexhaustam Ciceronis co-
 piam atque ubertatem, ita tenuem contractamq; arbitra-
 rer, ut latine loqui cupienti non omnia abunde suppedita-
 tare posse diffiderem, risu me iure proscinderes, ab ijs
 non dissimilem, qui eo orationis genere utuntur, quæ ex
 uerborum undique accessitorum corrogatorumq; con-
 gerie, & immenso historiarum, exemplorum, adagio-
 numq; cumulo, uelut cento undequaque consutus, con-
 stet: quæq; nullam neque elegantiam, neque uenustatem,
 neque grauitatem præ se ferat, formamq; inconditam ha-
 beat, & minime æquabilem: sicq; uerbis disinta sit &
 exuberans, rerum pondere inanis. Nec tamen in ea sum
Ciceronis Doletri de
Cic.
Sententia, ut nullum præter Ciceronem nobis legendum
 putem. Placet quisquis pure, emendate, probateq; non in-
 quinate, aut abiecte loquitur, nec nouum loquendi genus,
 aut immodicum obscuritatis studium, barbarie' ue fordes:
 nec humilem frigidam' ue scriptionem, aut prouerbialem
 nescio quam orationis farraginem, lingue Latinæ splen-
 dori & sublimitati anteponit. Puram ornatamq; dicendi
 formam, quia facile assidua Ciceronis lectione mihi præ-
 stitum iri rebar, Cicerone plurimum sum semper usus,
 atque oblectatus: neque me ad alios ita ferè applicui.
 Hinc tuus in nos risus, hinc nostri contemptio, hinc tua
 conuictia,

conuictia, sed ad quæ consuetudine iam obdurui, et calum stomacho obduxerunt. Sequitur modo illud, quo me rideare, uel etiam pungere conatus es. Miraris tantam meam apud Gallos autoritatem, eam ipsam inuidiose mihi in criminis ponis. Quæ profecto si autoritas est appellanda potius, quam propter mea erga illos merita (absit exprobrationis suspicio) mutuus illorum in me amor, aut propter officiosos meos in Gallicam sodalitatem labores, nonnulla apud ipsumsos illos gratia, eam ita appelles, per me sanè licet: dummodo ea utar in æquis causis pro libertate meorum contra barbarorum iniurias. Hanc autem potentiae inuidiam si eo mihi excites, ut meæ apud Gallos autoritatis magnitudine, illos ad seditionem uocari proponas, eccubi te quisquam sceleratior? Tu ne deditissimum mihi Gallorum animum, ita interpretabere, ut illos non amori operam dare, sed meos seditionis stimulos adhortationesq; sequi calumniose statuas? Collige te, Pinachi, placaq; animum et mitiga: da te ad lenitatem, ac diutius insanire desine. Ego si quam à Gallis bonam gratiam officijs meis iniui, illam ijsdem studijs retinebo, quibus ante parta est: utq; mihi honori sit et præsidio, et eius nomine dignitati existimatio= niq; meæ uelificer, dabitur à me diligenter opera, non ut ea, aut ad seditionem commouendam, aut ad turbas faciendas abutar. Quantum proinde tuæ procacitatis documentum dedisti? dum ex Gallis nonnullos discipulos nostros appellare libuit? Ieiuna sunt et frigida ista hominum tui similium, id est, petulantissimorum conuicia: qui nullam aliam preposteri sui ingenij exer-

citationem norunt, quām honestissimum quenque ore
 procaci lēdere, & arreptis ex triuio iniurijs diuexare.
 Ferrent Galli non ægre nostrarum artium discipulos
 censeri, si quantum sunt ad me amandum obseruandumq;
 propensi, tanta tenerer insania, ut qui me omni liberali
 doctrina & eloquentia multo sine controuersia antecel-
 lunt, uulgari mæ disciplinæ cuperem addici. Tuo me in-
 genio & natura æstimandum, tuis me moribus metien-
 dum putasti: qui quoniam ea insolentia, haud quidem
 scio, an amentia, es, ut præter te neminem doctum du-
 cas, omnesq; habeas discipulorum numero: sic me indo-
 cta arrogantia stultissimum credidisti, atque usque eò pa-
 rum intelligentem rerum existimatorem, & alienæ uir-
 tutis contemptorem, ut paulo in eloquentiæ cursu pro-
 uectior, longè me facundiores atque doctiores, præce-
 ptis meis incumbere uulgo iactitari non erubescerem. Vi-
 des, credo, quām amplum hic mihi discipulos tuos infe-
 standi, se argumentum offert: quibus ut hoc loco par-
 cam, id tamen uereor, ne eos diuinio stultiores reddas,
 quām accepisti: & præter literarum ignorantiam, quam
 à te solam discent, illos adeo infatues, ut tuum procacita-
 tis studium, damnandamq; maledicendi consuetudinem,
 quam propè nacti sunt, te magistro imitentur. Ut opta-
 rem, uir Ampliss. ab ijs me sermonibus temperare illæsa
 mea existimatione posse, in quos me dilabi cogunt absur-
 da istius maledicta: quibus tamen ita modo respondebo, ut
 me & me temperantiæ constare, non quemadmodum obtre-
 ctatorem nostrum, ridiculè iracundia effruescere testifi-
 cemini. Importunitatem uero nebulonis spectate, os homi-
 nis,

nis, insignemq; impudentiā cognoscite: an mentis est com-
pos? an non constringendus? Paupertatem, tenues opes,
exiguas facultates, generis obscuritatē, humilitatemq; mihi,
ut uitium obijcit: ob quam, & si ij es̄tis, qui nemūnē uitu
perandum, nec ob diuitias quenquam extollendū putatis,
tamen istius maledicto hoc à me intercedet, non sordido
me, aut infimo genere, sed honesto & splendido loco na-
tum: bene de rebus domesticis constitutū, ijsq; procrea-
tum parentibus, quibus & si defuit familiæ uetus, nomi-
nis antiquitas, gentiliumq; famosæ imagines, ordinis am-
plissimæ dignitas, & quæ pleraq; alia fortuna elargitur
magis, quām laude ulla illustria sint: prosper tamen &
equabilis perpetuusq; status fuit, & secundus uitæ sine
ulla offensione cursus. Atque si in potentissimorum uiro-
rum dignationem non uenere, nec illos spectata perso-
næ amplitudo illustrauit, ac ijs fortasse uirtute celebrio-
ri, literarumq; fama præluxi, & nominis memorieq;
clarioris initium dedi. Egregij certe ciues inter suos ui-
xere, nec nobilitatis insignibus caruere. Instat iterum
procacius maledicendi libidine ardens, & inusitata ra-
bie in me petulanter inuadit, molestissimis uerbis inse-
statur, libertatis iactura apud Italos eloquentiam didi-
cisse me clamat, neque aliter, ac me, loqui posse, quem
ut me educari contigit. Leuisimum me transfugam de-
sertoremq; subinde uocat, in Gallia natum, in Italia enu-
tritum, in Gallia nunc agentem, celeriter in Italiā cogitantem.
Rursus morosum me, & omnia stomachan-
tem, Symonis Villanouani consuetudine ab adolescentulo
factum argumentatur. Qui enim (inquit) frontem non

ad cuncta contrahat? qui non omnia fastidiat, et improbet? cum uiro omnium maxime aspero educatus? Tam immensum est tuum maledicendi studium, Pinachi, ut uiuum me improba uoce persequi non satis habeas, sed mortuos oblatrare nihil te pudeat. Me uero, uiri Ampliss. Simonis Villanouani defendendi laudandi; onere liberavit, epistolarum suarum testimonio Christophorus Longolius: quibus quam non illi et morum suavitatem, et doctrinæ magnitudinem uere impenseq; tribuit? Fateor cum Villanouano maximum mihi longumq; intercessisse usum, cuius tantum abest, ut me pœnitentiam, illum ut mihi singulari in laude ponam. Villanouano, quicquid in eloquentiae facultate profeci, aut si quid in me est artis oratione, quod scio quam sit exiguum, ingenuo acceptu reperio, nonnullam uitæ grauitatem ab illo mihi insitam adiunctamq; agnosco, morosum me illius consuetudine factum constanter mehercule nego. Quare noli mihi uirtanti amicitiam familiaritatemq; obiectare, neque me cum eo confer, qui uita excessit, omniq; odio caret et inuidia. Ad hoc unum responde. Tu ne morosi et maledici nomine perstringendum censes? qui barbarorum barbarem, qui uitiosorum uitia, qui flagitiosorum flagitia, et odit, et oratione oppugnat? Igitur tua sententia maledicus Demosthenes, qui tam acerbas causas in Philippum dixit. Morosus et maledicus Cicero, qui tam sape in Clodium, in Vatinium, in Pisonem, in Verrem, in Catilinam, in Antonium tam aspere inuectus est. Maledicus uocandus Horatius, maledicus appellandus Persius, maledicus existimandus Iuuenalis, satyrici; poete omnes: quorum

quorum reprehensionem scelerata sceleratorum uita sen-
sit. Ego igitur morbo procacitatis utor, ego maledictis
deditus, qui Tholosæ barbaræ barbarie succenso. Quin
re uera maledici nomine notandum tuate procacitas ar-
guit: qui sine maledicendi cupiditate dignam omni con-
uiciorum acerbitate urbem, leuiter obiurganti mihi furiose
insultas. Maledici subire nomen non renuam, si quem lau-
de dignum reperies, qui se à me (si quando opus, &
equum fuit) non laudatum, aut ullo maledicto offendit
queratur. Sed quis urbi omnium perniciosissimæ flagitio-
ssimæq; parcat? Habet quibus à te sigillatim prouoca-
to respondere mihi necesse fuit: planum feci nulla te cau-
sa ad hanc furialem rabiem adductum: ostendi nec te pa-
triæ charitate, nec quod lœsus essem, sed tua tantum inuidia
atque in me odio, ad hanc actionem concitum: quæ tu in
me confinxisti, exacte per paucis dissolui. Non iam quen-
quam in te grauius exasperabo: quem video bonis omni-
bus, & singulari tua stultitia satis poenarum dare, & pon-
dus tuae orationi indignis conuicijs detraxisse. Proinde
nunc gradum ad alteram defensionis nostræ partem fa-
cio, in qua, quorum probrorum turpitudine integros
Gallorū mores perfudisti, Vascones tuos scatere audias,
& quæ in nos summa perfidia coniecisti, tuis recte appo-
siteq; conuenire intelligas. Quod ipsum antequam aper-
tius aggrediar, Galliam ipsam, quæ suorum erga te meri-
torum gratiam efflagitat, tecum congregari, tecum agere,
ac tacitis quodammodo uerbis, te compellare permittam.
Aduerte huc animum perfide: Gallia sic tecum loquitur, Galliæ pro-
Gallia sic tecum in causam descendit. Ergo conuicijs in sopopeia.

me graſſabere? Probris in me irruſe? maledictis me conſodieſ? quæ te ex diuturnis tenebris luſtrorum ac ſupro-
rum emerſum, quæ te ab amicis inopem, quæ te omni prä-
ſidio orbatum, quæ te nudum, quæ te calamitosum, quæ
te egentem, quæ te patrimonio naufragum, tam libenter,
tam benigne, tam prolixe excepit: quæ te meis ædibus te-
xi, quæ te mea ubertate educaui? Ergo me deprimere co-
naberis? quæ te è tenebris in lucem eduxi? quæ tibi, ar-
tium quicquid habes, contuli: quæ te disciplina expoliui?
Atque utinam, qua te ornare humanitate, qua modestia
inſtruere ſtudui, illam non cum ſolo uertiffes, nec cum in
patriam redijſti, ſimul ad priftinam, qua modo furis, tuam
ingenij asperitatem, barbariemq; redijſſes. Superum fi-
dem: ſic ne à me institutus es? ut de te benemeritos ini-
rijs perſequare? ut à quibus ſumma officia percepisti, eis
maledicta reſeras? ut quibus uitam, nedum uitæ ornamenti
debes, tam acerbis uocibus laceſſas? Hæc ſi tecum Gallia
loquatur, non' ne exanguis atque aſtuans, repente in illam
inuolabis? nō ne cum fractis quibusdam, ac in anibus minis
loquenti insurges? non' ne effrenato tuo et precipiti fu-
rore instabis? non' ne fine uultus constantia, fine colore,
fine uoce, tanta tibi exprobrantem opprimes? Simile nihil
ages: at tuæ turpitudinis recordatione uictus, et benefi-
ciorum, quæ in te à Gallia profecta ſunt, memoria territus
ſilebis: Galliæ omnia accepta reſeres, Galliæ, quam natu-
ræ longe plura debere te non negabis, quæ te diu aluit,
quæ literis inſtruxit, quæ ſtudijs illuſtrauit. Tanta benefi-
ciorum präſtantia, tanta meritorum magnitudo, non con-
uicia expectabat, ſed grati memorisq; animi teſtificatio-

nem

nem postulabat. Agedum gratum immemori quantumlibet postpone: ecquid tamen usquam est, quod tuis tam uanis in Gallos mendacijs non aperte repugnet? Pluribus hic illos in coelum efferrem, nisi mumeris nostri oratorij cursu, suas laudes, non satis ample atque copiose eas quidem, sed ut nostra tulit facultas, à me ipsi audissent, et in illa laudatione adfuisse te memoria etiam nunc tenerem. In quo, si ab exemplo nostro non abhorruisses, et tuos oratione tolerabili laudare, non Gallis impudenter male dicere uoluisses, constitisset mehercule tibi, negotij à te suscepiti fructus, neque id me hoc tempore solicitaret, ut tuis contumelijs offensos Gallos nostra hac defensione ulciscerer. Quæro igitur primum, quonam mihi pacto molleis illos, quos uocas, delicatosq; probaris? qui nullis capti illecebris, qui nullis impliciti uoluptatibus, et literarum studio nunc sese omnium maxime dedunt, et omni uirtuti diligenter incumbunt. Liberet, si liceret per orationis grauitatem, hic liberet, hominum doctissimorum more, uoces centum, guttura centum, eaq; ferrea, omni uoto cupere, ut quas primoribus tantum labris attingo, Gallorum laudes plenius copiosiusq; efferrem: oratoris summi tam dignas eloquio, quam oratione minime dicendas mea. Quid agas? Ego mehercule ut tantæ subeundæ moli non par sim futurus, sic diligenter cauebo, nullus si poscit à me cumulus adjici, Gallorum tamen gloriam ne minuam: que eò radices iampridem ubiq; egit, ut orbe toto, non aliqua orbis parte diffundatur. Hos' ne mihi timidos? hos ne uerberum patientes? hos' ne manu tardos? qui belli gloria potentiaq; armorum nulli unquam cessere

cessere? qui genteis immanitate barbaras domuere? qui populos strauere multitudine innumerabiles? qui locis infinitos, & omni copiarum genere abundantes delevere? Ecquæ exteræ nationes, ecquæ terrarum oræ Gallorum imperio non cesserunt? ecquis toto orbe locus, aut tam firmum habuit præsidium, ut Gallorum congressu suorum etiam ipsorum sanguine non redundarit? aut tam fuit abditus, diuersus, deuius, longinquus, ut Gallorum industriam in obsidendo, celeritatem in expugnando, felicitatem in superando non nouerit? Ecquæ maria? ecqui sinus, quantumuis prædonum referti, in structissimas Gallorum classes non tulere? ecquis portus, uictrices Gallorum naues uel maxima gratulatione non excepere? Fuit hoc quondam proprium Gallis, atque perpetuum, quos optarent, quos sperarent, armis subigere: pacem, quibus libebat, ut uenalem, elargiri, quos uidebatur, sempiterna oppressionem euertere, opem ferre potentibus, supplicibus auxilium non denegare, nomine omneis terrere, potentia frangere, deprimere, atterere. Non Brutii, non Camilli, non Halæ, non Decij, non Curij, non Fabrīcij, non Maximij, non Scipiones, non Lentuli, non Aeniliij, non Romanii omnes bellorum fulmina Gallis in hoc genere laudem præripiant: quorum impetus, quorum tumultus, quorum impressionem senserunt, quorum ui atque strenuitate, quorum diligentia atque labore, quorum uirtute atque industria, Roma prima orbis sedes, saepe quondam tremuit: tremuit autem? at oppugnata, at expugnata, at capta, at direpta, at incensa est. Succubuit, cui obſistere non poterat, Gallorum uirtuti atque potentiae, alijs terro-
ri fuit

ri fuit, alios euertit, alios imperio spoliauit, at Gallorum
armis ceſſit, reliquis omnibus maior, Gallis multo quidem
minor. Facite, uiri amplissimi, ut non orationis meæ po-
tius leuitate, quam rerum ipsarum grauitate atque pon-
dere, Gallorum uirtutem perpendatis. Paucis complector,
quæ pluribus explicata, omnem omnium admirationem su-
perent: multa prætereo consulto, quæ uobis coniectura
licet colligere. Etenim non clades, non prælia, non dele-
tos non occisione occisos à Gallis excercitus, non copias,
non urbes expugnatas, non incredibiles uictorias, non
innumerabiles pugnas, non exuicias, non triumphos nu-
mero: ut intelligatis hac me Gallorum laude, sicuti alijs
opprimi, nec ista dicendi breuitate, sed orationibus sexcen-
tis, ac iustis spissisq; ex operosis librorum uoluminibus
explicari debere. Quis siquidem Gallorum uirtutes, tam
breuibus abunde prædicet? quis res gestas referat? quo-
rum nomen tam late, quorum gloria tam longe uagatur?
quorum fama terras omneis peruersit? Tam præclare Gal-
lorum in armis laudis luminibus obstruere, hic insigniter
impudēs adnititur. Euctuosam illam, ex fortuna fatali ma-
gis, quam Gallorum culpa calamitosam, ad Ticinensem
agrum pugnam opponit; in qua F R A N C I S C U S
Valesius rex Galliæ, rex omnibus regiæ potestatis orna-
mentis cum corpore, tum animo spectandus, in hostium
manus uenit. Illius uulneris memoria Gallos omni stren-
uitatis uictoriarumq; laude spoliat. Quam impudentiam
maledictumq; qui uerisimile aut ratum haberi debere su-
stinet, num hoc simul ex impudenter, ex falso afferere
uideatur? Martis euentum non esse communem: ducemq;
non

non comitem consiliorum? aut idcirco Romanorum Gra
corumq; gloriam, non gloriam esse, ideoq; Cæsarem,
Pompeium, Annibalem, Mithridatem, summa rei militaris
laude continuo priuandos, quod plagas multas sæpe acce
perint? quod uicti aliquando ceciderint? quod manus ca
pti dederint? Luculentam plagam, et graue fuisse Gallis
illud uulnus non inficiabor: quod tamen sempiternas atq;
immortales Gallorum uirtutes modo nullo obscuret, quas
hic uerbosius narrandi labore supersedebo, atque pruden
ter tacebo, quæ antiquorum monumentis, quæ scriptorum
omnium historijs satis superq; patent, nec in re minime
dubia, probādi diligentiam affectabo. Re tecum præsenti
agam, nostris exemplis contendam. Tu Gallos timidos?
Tu Gallos uerberibus ferendis faciles? Tu Gallos lingua
magis, quam armis, aut manu potentes et promptos?
Quotūquēq; Gallum uel leuissime à Vascone affectum?
quotumquenq; aut animi magnitudine, aut certamine ui
ctum? quotumquenq;, nisi scelere et dolo (qui Vasconi
proprius) uel læsum, uel imperfectum nomines? Num hic
tibi illud in mentem uenit? quoties oblatæ Vasconibus à
Gallis facultas, quoties facta optio, ut excitatum inter nos
tumultum, ut crebras nostras turbas, Gallus cum Vasco
ne pugna singulari sedaret? Num occurrit? quoties Gal
lus manum cum Vascone conserere animose expetiuit?
quoties econtrario Vasco timide recusauit? Num in me
moriā redigis, quam sæpe Vasconem Gallus, quam raz
ro, aut nunquam, Vasco Gallum domuit? Nec ista in eam
partem à me dicta uelim, Aquitani, ut uobis factam contu
meliam arbitremini, aut acceptas à Gallis plagas uulne
raq;

rāq; & obductas cicatrices refricem : sed ut aduersarij
 temeritati, nulloq; modo tolerandis conuicijs, mutua con-
 uiciorum acerbitate resistam. Aquitaniam strenuis uiris,
 & ad armorum gloriam illustribus non carere certo scio:
 id uero nescio, quæ mentis cæcitas, obtrectatoris nostri
 aciem ita tandem perstrinxit, ut tetrás quasdam hominum
 pestes, & portenta diris omnibus digna, tam anxie or-
 nare ista laude conetur. Nolite expectare, uiri amplissimi,
 ut istos nominatim recenseam: non uobis erunt obscuri,
 si ut recordemini, faciatis, qui armati, qui furentibus simi-
 les, qui minaces, qui toruo aspectu, uos saepe in scholis ob-
 sident, qui terrorē formidolosis incutiunt, generosis au-
 tem risum, & non infirme animatis mouent: qui ex omni
 scelerum colluicie nati, qui ad omne indignum facinus
 apti, ad uirtutem inepti, qui ad flagitia parati, ad res præ-
 claras desides, qui egestate & scelere perditi, nihil nisi
 scelestum cogitant, nihil nisi importunum indignumq;
 moliuntur, qui uel nummo conducti, ad sicam properat,
 ad cædem præcipitant, atrociter comminantur, uim inernu-
 adferunt. O' rem cum auditu crudelem, tum uisu nefas-
 riam. Adderem uulgata illa, & declamatorum execratio-
 nibus usitata: O' cœnum, o' labem, o' luctum, o' feras be-
 stias: sed tuis iam auribus morigeror, quæ suo etiam loco
 usurpatum istud à me exclamandi genus, indocte, ut ele-
 gantia omnia, inepteq; fastidiunt. Ad rem quoq; redeo.
 Detraxisti perpetuum Gallis decus, & à maioribus reli-
 ctam nobis diuinam illam generosi animi laudem, ea ut
 tuos celebrares, nobisq; uilem timidorum & imbecillium
 personam foedissime imponeres. Illud simul subdidisti,

Gallos

Gallos quæstus causa, patienter omnia ferre, iniurias quasi
 uis perpeti, lucra quacunq; dignitatis iactura ligurire. Pri-
 mum hoc quadrare uerbum in incredibilem Gallorum
 uirtutem non potest: tum obtrectationes istas tuas asper-
 natur, qui ingenuos præ omnibus & liberaliter educatos
 Gallos, eorumq; uacuum bonorum cupiditate naturam
 perspexit. Gallis nulla dominatur quæstus auditas, Gallis
 nullum quæstus studium, Gallis lucri spes nulla imperat.
 Eadem amentia crudeleis illos, & inhumanos uocas:qui-
 bus ut reliqua uirtutum insignia, Baptista Mantuanus,
 Sabellicus, Fulgosius, Galici nominis insectatores, aufe-
 rant, humanitatis certè commendationem relinquunt. Pa-
 risiorum Lutetiam omnium Galliæ ciuitatum facile prin-
 cipem sicarijs abundare, nemini tutam illic esse salutem
 quereris. Cogis hic à me in Vascones dici, quod ne illos
 laderem, proferre diu quidem dubitau. Cogis hic à me
 exclamari, quod ab alio Vasconibus iratiore, in Vascones
 dictum oportuit. Sed importuna tua iniuria expugnor,
 exhausturq; mea animi magnitudo. Veritatis ui superior,
 ueritati mihi manum iniijcenti cedo, traheti pareo. Quid?
 Num si qui Lutetiae sicarij? Num si qui sunt limini Pi-
 etonum nocturni grassatores? Num si qui sunt Genabi
 ad scelus audacieores? eos Vascones diffiteare? Quis Lute-
 tiæ cuiusquam fores ad latrocinia effringere? quis uitium
 uirginibus adserre dicitur? Vasco. Quis Lutetiae de no-
 ñe grassari? quis per urbem uolitare? quis uias obsidere
 prædicatur? Vasco. Quis Lutetiae noctu spoliatum spo-
 liasse? quis scelerate uulneratum uulnerasse? quis misere
 interfictum interfecisse fertur? Vasco. Adeo iam Gallos,
 omneisq;

omneisq; ea de Vasconum improbitate peruersit opinio,
 ut nihil crudele, nihil sceleratum, nihil nefarium à quoquā
 fieri posse, nisi à Vascone arbitrentur. Quid tu Italos
 hosti imprecari existimas? dum, ut Vascones tecto reci-
 pere cogatur, uota irati faciunt? pestem omnem uastita-
 temq; Vasconis nomine comprehendendi indicant, Vasconis
 nomen scelus omne sonare declarant, & quem funditus
euersum desiderant, Vasconis immanitate, furtis atq; fla-
 gitij ex exerceri cupiunt. Nunc Lutetiae nemini tutam per-
 sicarios uitam, paratam cuique uim atq; iniuriam clama.
 Hoc tibi libens ita mehercule dabo, si factas omneis Lute-
 tie cedes, si, quæ Lutetiae scelera, si, quæ spoliationes
 commemorantur, Vasconum crudelitate fieri asseras. Ve-
 reor uehementer, Aquitani, ne me hic locum in uos inue-
 hendi quæfisse suspicemini, non necessario hæc à me col-
 lecta. At qui se culpa carere, & nullo alligatum scelere
 sentiet, nihilo grauius commouebitur, quam qui à uitijis
 uacuis, uitia aliena insinulari audit, magnum ex sua inte-
 gritate atque innocentia non fructum solum, sed summā
 lētitiam capit, & sceleratorum flagitia coargui incredibi-
 liter gaudet. Non quos uita integra atque innocentia plu-
 rimos mittit Lutetiam in Italianū Aquitania, mea ora-
 tione appeti statuo: qui Lutetiae grassantur, noto, qui in
 Italia furantur, qui diripiunt, qui aliena quoquis iure, qua-
 quis iniuria corradunt, insecto: frugi omnibus parco, il-
 lorum me laudatorem profiteor. Sed si mihi posthac sto-
 machum moueris, detegam, quibus te tam ueris quam in-
 uidiosis criminibus accersi audio: exponam, quæ te Lu-
 tetiae egisse rumore non satis belle dictitant: clara uoce

d nomina

nominabo, quibus ex tuorum numero erectas furcas, dicatam crucem, paratum laqueum, Lutetiæ his uidi oculis. Gratiam mihi habe : uitæ tuæ turpitudinem prætero, mores perditos taceo, non genus tuum, non ætatis errata, non educationem, non habitum, non fortunam, non uictum, non studia, odiosius excutio, tuæ existimationi consul : tametsi tam durus & ferus si essem, ut fastam à te Aurelijs nostris iniuriam (nostros uoco, quibuscum eadem mihi patria intercessit) asperiore animo ulcisci uellem, conuicijs nullis abstinerem, ut tuarum te ineptiarum pœniteret, & tam nobilem ciuitatem falso crudelitatis insimulasse dolores. Qui te annales? qui te fastorum historiarum'ue, aut priscarum aut nouarum libri in eam opinionem adduxerunt? Ut aniles nescio quas fabulas, & plebis imperitæ nugæ, ueras esse putares? magnum uidelicet quendam adolescentium numerum, legitimæ disciplinæ rudimentis operam impendentium, incredibili perfidia atque immanitate ab Aurelijs ciuibus quondam ad unum occisum? Ex incepto uulgi sermone cupidè istud arripuisti, quo perennem crudelitatis notam Aurelijs inureres. At fidem non facit quod uulgas in nos comminiscitur, iuxta ac tu, ad maledicendum mentiendumq; paratus, quam ueritatis studiosius. Ad reliqua proficiscor, uiri Ampliſ. quæ à me prima mea oratione, Tholosæ obiecta, & illius postea defensione infirmata, confirmari à me non posse creditit. Hoc prius tamen à uobis deprecor, perattentos uestros animos si antea habui, dum, quibus me Gallosq; maledictis accusator onerarat, pro uiribus respondi, nunc,

CUM

cum meæ superioris orationis capita tueor, bona cum uenia non graue sit attendere, uosq; mihi faciles impertiri. Displicebit forte, ac minus iucunditatis uoluptatisq; habebit plus semel tractata causa: uarietate rerum carebimus, criminum nouorum deerit reprehensio: quod delectationem minuet, et uestrum attente audiendi studium retardabit: sed uestra æquitate et prudentia dignissimum est, in aadiendo diligentiam non minus defensioni nostræ accommodare, quam aurium uoluptati obsequi, idq; mihi elargiri, ut causæ meæ æquitas mihi audentiam apud uos faciat. Parum (inquis Pinachi) gratum animi Gallum: qui Tholosæ agens, qui tectis Tholosæ exceptus, barbarem Tholosam appellet. Hoc tu me conuictio sèpiissime lacesti. Mitto iam, qua laudum celebritate, quibus Versibus, Tholosæ, ob istum, quem exprobras, habitationis et tectorum usum, gratiam non animo solum habuerim, sed etiam cumulate retulerim. Id quoque prorsus ignorare te nolo: quod te spectante, et incendij nostri flammæ materiam suggestente factum est, grauioribus me iniurijs molestijsq; Tholosæ conflictatum, quam humanitate illustriore acceptum, equioremq; mihi causam esse, urbis huius obruenda uituperationibus, quam ornandæ laudibus. Nullis meis tamen priuatis inimicitijs, aut iniuria adducor, ut ad barbariem Tholosæ accusandam descendam. Sed humanitatem in uita sanctissimam qui putat, potest eis non inimicus esse, qui humanitatem animis tam infestis oderet? Vitæ coniunctionem et familiarem conuictum qui

colendum existimat, potest uitæ coniunctionem damnantes laudare? Qui sociorum iniurijs dolet, eis, qui socijs libertatem eripiunt, qui socios à necessitudine abstrahunt, qui iniurijs opprimunt, æquo animo assentientur? eis non plus etiam quām inimicus esse debeat? Illa me ut Tholosam duram, agrestem, asperam, barbaremq; appellarem, mouerunt: illa, ut Tholosæ uehementius irascerer, effecerunt. Quam meam de hac urbe existimationem, eo mutabo tempore, quo mutatos Tholose mores, & humanitati asperitatem postpositam intelligam, quo Tholosæ literas charas, quo Tholosæ eloquentiam iucundam, quo Tholosæ infantiam inuisam, quo Tholosæ disciplinas inertiae præferri audiam, quo Tholosam iniquis calumniandiq; cupidis carere, quo Tholosæ doctis tutis esse licere sentiam. Tu etiam ne expecta, ut leuia illa, quibus Tholosæ humanitatis laudem tribuere conatus es, pluribus refellam, contemptu non responsione digna. Quæ laus humanitatis, quæ comitatis existimatio, quæ morum suavium fama, Tholosæ debeat, indicauit proximè regis Galli tam subitus ab hac urbe discessus. Quid queris? uenit, uidit, abiit. Fugavit hinc Gallos humanitatis lumina, Tholosæ rusticitas, asperitas, barbaries, ineptiæ. Nec tu satis commodè prætexes, regem negotiorum instantium magnitudine hinc tam celeriter euocatum. Nullis paret negotijs, qui negotia suo arbitratu extrahit, differtq; in quæ libet tempora. Excipiuntur, inquis, qui Tholosam accedunt, ab hospitibus humaniter, per urbem deducuntur, ut uisenda

senda spectent, comiter uia illis indicatur, arridetur, ap= plauditur. Perinde quasi, ea officia qui præstant, non quæstui potius, quam officio inseruant, aut non cuiusvis ciuitatis sit commune, peregrinos humaniter excipere, abeunteis amicos uiatico prosequi, atque instruere, uiam oberratibus demōstrare. Define ridiculis istis inertibusq; argumentis uti: aut nullis, aut acrioribus insta, grammaticis hæc relinque, grammaticorum leuitati apta, oratione subtilitati non idonea. Me ne quatefecisse impulisse' ue, aut de gradu deturbasse existimas ē dum in hac urbe uix anno uersatum, Tholose, quos persecuor mores, bene me nouisse iracunde negas? Animaduertuntur turpia, quam honesta diligentius, perspiciuntur uitiosa, quam recte constituta, attentius. Ad id me odij adduxit anno uno Tholose barbaries, quod nec tempus ullum extinguet, nec uitæ finis comprimet. Præsto mihi in hac uoluntate erunt, mecumq; facient, & sentient, quorum alios Tholosa ignominia indigna affecit, alios minis terribusq; elecit, ferre alios non potuit. Res hic postulat, uiri Ampliss. nostræq; orationis argumentum, ut Tholose seuitiæ & crudelitatis incredibilia exempla proferā: quod non ideo à me fieri existimabitis, ut ex omni genere facultatem dicendi aucuper, aut omneis undique inueniendi locos cupide colligam, sed ut cuius se cause pa= tronum defensoremq; esse Pinachius uoluerit, quidq; ho= minis sit Doletus, noscatis: ut me scilicet ueritas uera= cem esse arguat, aduersarium contra nostrum mendacem, mendacium sine cunctatione testetur. Cedo nunç

d 3 igitur,

igitur, qui Tholosæ primi uirtute & ingenio præstabilii
 erant, quam inique oppresi sint & afflicti. Liquebit tum
 nobis, non abs re omnibus conuitijs Tholosam exag-
 tari debere, sed nec facile genus insectationis reperiri,
 quo illam, ut par est, proscindam. Iam ad rem uenio.
 Quæ de Christianæ reip. statu noua ignotaq; Lutherus
 iampridem adduxit, graui passim ardere inuidia, eoq;
 loci esse, ut turbulentis tantum sceleretq; curiosis qui-
 busdam ingenij approbari putentur, neminem uestrum
 fugit. Compertum etiam & certum habetis, quo quis-
 que sensu acrior, & doctrina ornatior politiorq; cen-
 seatur, eo uehementius confessim apud praua mente ho-
 mines in Lutheranæ hæresis suffisionem uenire, & in
 illius communis erroris crimen inuidiamque uocari.
 Quam ansam infiniti sui in doctos studiosorumq; na-
 tionem odij profundundi nocte Tholosanæ furia, quos
 eruditionis ingenijq; commendatione illustres, pessum-
 dare non omnino contenderunt: quis ab illis latum de
 salute docti cuiuspiam suffragium intellexit? Videor ad
 hanc meam uocem urbis huius calumniatores frenden-
 tes, & pernitiose iam de me cogitantes cernere: videor
 atrocissimas illorum munas exaudire: videor de meo exi-
 lio quætionem decernentes intueri. Videor meum ab
 illis nomen inter Lutheranos relatum spectare: Ho-
 rum calumniæ astipulatorem & subscriptorem se futu-
 rum conuiciator noster annuit: qui ne uel punto qui-
 dem temporis ista uoluptate fruatur, dum me tam inui-
 diosi sceleris crimine perstringendum sperat, ac ne ulla
 sectæ

sectæ Lutherianaæ suspicio ad me quidem pertineat, trans=
 ferri ue possit, hoc uos loco uehementer rogo atque
 obsecro : sic uobis de me persuadete, nihil me minus
 quam iniquam & impiam hæreticorum pertinaciam se=
 qui, nihil me acerbius ac peius isto quorundam noua=
 rum disciplinarum studio cupiditateq; odiſſe, nihil apud
 me omni ex parte damnatus. Nempe ita ego sum, ut
 multis iam seculis inductam, & quasi per manus, no=
 bis à sanctissimis religiosissimisq; persuasoris nostræ he=
 roibus traditam, atque iure moreq; maiorum ad hunc
 usque diem usurpatam, & receptam sacrorum rituum
 institutionem : eam unam, præterea nullam, obseruem,
 & colam : non nouam minimeq; necessariam temere
 utique probem, quæq; optima sint & plane Christia=
 na, mihi mirandum in modum placeant. Sed quæ (malum)
 ista ratio est, Tholosæ pro delitijs crudelitatem esse?
 hancq; urbem ijs moribus imbutam, ut in hoc solo læ=
 tetur, quod ea faciat, quæ ab omni humanitatis sensu
 remota sint, atque aliena, quæq; nequaquam cum æqui=
 tate consentiant? Dixisset multa audacter, pleraq; esset
 non moderate loquutus, omni scelere coopertus esset,
 hæreticorum supplicio plectenda admisisset, quem ui=
 um comburi in hac urbe uidistis (nomen mortui præ=
 tereo, igne quidem consumpti, sed hic adhuc inuidiae
 flamma flagrantis) an tamen poenitenti via ad sanitatem
 salutemq; precise intercludi debuit? Nunquid scimus cu=
 iusuis esse hominis errare & labi, nullius nisi insipientis
 perseuerare? An post discussam illius caliginem, dilu=
religionis
 d 4 cescere

cescere mox posse diffidendū erat? Quare ex erroris uortice uoragineq; emergenti , & se ad portum frugemq; bonam recipere cupienti , non omnium consensu data est nauem inhibendi facultas? Fuit hæc ultima illius uox , & à pontificis sententia , & à senatus iudicio capitali prouocatio : quam quis probabilem acceptamq; haberi debuisse iure ullo inficietur? Profuit tamen nihil post erratum in uiam redire uoluisse : nec , quæ portus pœnitenti esse solet , mutatio consilij , uitam illi in columem ab iniquorum immanitate seruare potuit. Immemor suo more humanitatis , cuius nunquam particeps fuit , Tholosa , insatiabilem suam crudelitatem exercuit in eo lacerando atque uexando , & in opprimendo extinguedoq; animum expleuit , ac oculos pauit suos : hac opinione gloriaq; præpostere & absurde superba , se quidem esse in officio , atque adeo ad religionis nostræ dignitatem obnoxie incumbere , dum summa iniuria pro summo iure utatur , ac , qui in leuem aliquam erroris suspicionem ceciderint , aut inuidiose criminis alicuius insimulentur , eos aspere crudeliterq; uexet , & Christum potius eiuarare , quam respicere , cruciatibus adigat : cum interim nemo non animis cogitationeq; prospiciat , hic , quam in locis omnibus magis iura & leges silere , uim , inuidiam , æquitatisq; supplantationē dominari. Atq; quæ sibi summam synceræ germanæq; nostræ persuasoris laudē in epte arrogat , & Christianæ religionis lumē atq; decus uideri & haberi cupit , quam iuste id sibi assumat , in trāscursu dispiçiamus. Longe alia est omniū de Tholosa in hac re opiniō ,

clu. j. sonis

nio, quam qua ad amentiā usque raptā, fide multos supērare se putat. Opus hic mihi est grauiſſimis uestris uerifīsimisq; testimonijs, nec mihi non libenter assentiemini, id si animo infixum tenetis, Tholosam prope adhuc Christiani cultus rudem, & ridiculis Turcarum superstitionib; bus addictam. Quò enim certe pertinet, ad diui Georgij festum, templum admis̄is equis, repetito nouies cursu in singulos annos obire s; uotaq; solennia pro equorum salute nuncupare? Quò pertinet crucem in Garumnam flumen stata die proluere? uelut Eridani, Danubij ue, aut Nili alicuius, uel patris Oceani caput demulcentes? ex cum fluuij Lymphis tum de leni æquabiliq; fluxu, tum de aquarum non exuperanti incremento paciscentes? Quò pertinet in aestiuā siccitate, & deficientis pluviæ desiderio, statuarum quarundam cariosos truncos à pueris pas̄sim per urbem circunferri? & tanquam Orioni dijsq;, quibus pluviæ potestate poëtarum fabulæ assignant, uerba uoce præuentibus sacrificulis litari? Non tot uana ridiculaq; excogitauit quondam barbare gentis credulitas, nec tanta est poëticorum commentorum aut ineptiarum copia, quot Tholosæ cum superuacanearum superstitionum, tum damnate religionis documenta præberi, hic si sis cernas, uel absens omniū nuntijs sermoneq; audiās. Audet tamen, & audet urbs Christi fidem tam male atque perperam docta, Christiani cultus leges omnibus prescribere, omnia ad imperium nutumq; suum reuocare, & qui ad Christi mandata paulo s; solutius liberiusq; componat, uti à fidei integritate synceritateq; desciscen- tem hæretici nomine suggillare: quos autem caligine &

tenebris obductos superstitione secum uiuere uidet, sacrorum flaminum loco habere, & obseruare, uel secundum Deum reuereri. Quod si quis existimat propter factas mihi ab ea iniurias, me aut uoluntate in eam esse iniquiori, aut acerbiori animo, aut odio crudeliori, quo incensus illam quaqua uersum impetum, uehementer dubio procul errat: mihi quod potuit uis & iniuria, & sceleratæ urbis furor, damni maliq; struere, struxit, aduluit, iniecit: quod uiri fortis conuelli non potest, mentis excelsæ robur, id mihi constitit hactenus, & constabit: nec iniurijs impulsus, sed ueritatis studio adductus, uiro forti consentanea oratione utor, quamquam maiori mihi curæ est (quemadmodum ex meo ingenio consuetudineq; conjecturam ducere potestis) ut leuius agam, quam acerbius. Non pretermittam illud tamen, quod prætermitti non debet, nec

Ioānes boyſ potest, quanta asperitate Tholosa Ioannem boyſonæum sonæus. agitarit: at qua existimatione, qua dignitate uirum? Vixi mehercule omnium confessione integerrimum, totiusq; uitæ innocentia probissimum, & cum eloquentie laude, tum iuris civilis peritia longe celeberrimum. Cui quid præter eruditionem, fortunarumq; amplitudinem calamitati fuit? Dicam enim uere, & ex animo, quod de hominis sensu atque religione non nunc primum audio, sed quæ iampridem à probatissimis accepi, & uera post hac familiari mea cum illo consuetudine cognoui. Dicam itaq; uere, nihil illi præter eruditionis commendationem, diuitiarumq; ubertatem calamitati fuit: quiq; illius fortunas certa iam spe deuorarant gratosi quadruplatores & sectores quidam, sed nefarij tamen delatores, innocentem neque

neque ullo pacto lēsē religionis reum calumnijs circūuerunt, circūuentum damnarunt, datum in genti pecunia mulctarunt. Deniq; qui propter inertiam suam & ignauiam, eadē, quibus ille floret, uirtutum insignia aſſe= qui non poterant, illius laudi & dignitati inuiderunt: alij, quibus (ut facilis est, & humanitatis plenus) totum ſe aliquando dediderat, per simulationem amicitiae, illum flagitioſe prodiderunt, quorum ſceleri falsisq; delationibus indulſit cupide Tholosa, neque locum innocentis innocentiae, integri integritati, religiosi religioni, uſpiam certe dedit: cuius amplitudinem laude amplificare debebat, eius in columitatem & ſalutem deſeruit: qui maximis honoribus augendus uidebatur, in dignissimam fortunam nobilissima ſua uirtute gloriaq; ſubijt. Eiusdem cum illo criminis iniquissime grauiſſimeq; accusatus Pacus, homo in Matthæus genua animi probitate optimus, eaq; uirtutum omnium Pacus. præſtantia, quam complecti oratione non poſsim, ſaluti & dignitati ſuae fuga consulere coactus eſt. Simili conſilio atque prudentia ſe ab iniquorum calumnijs eripuit Petrus Bunellus, adoleſcens non mediocris expectationis Petrus Bu= & probitatis, optimarumq; artium ſtudijs eruditissimus. nellus. Neque in ſuos tantum graſſari contenta, crudelis hæc ciuitas, peregrinos ſupra omnem iuris aequitatem inuafit: Othonem, qui relictis Italiæ ſedibus, huic ad ſtudia commi Otho Italus. grarat, ignominia turpiter affecit, tanta morum ſuauitate & innocentia hominem, quanto ſcelerum omnium comitatu, & crudelitatis uallo ſep̄ta eſt. Auditc, quæſo, quod, ueluti accepta in uifis à Deo opt. Max. antiqui illius mandati formula, uideret ſcilicet, ne quid detrimenti Reſpub. Christia

Christiana acciperet, insignem suæ caluniæ potius, quam
 in Christi re procuranda diligentæ significationem de-
 Ioannes dit. Ea in Ioannis Pini periculo, quem honoris amplitu-
 Pinus. dinisq; causa nomino, sic mediusfidius patuit. Ille omnium
 qui sunt, fuerunt, erunt, virtute, sapientia, dignitate, facile
 princeps, & omni laudum genere florentissimus, literis
 ab Erasmo Roderodamo in eam rationem ad se allatis,
 ut Iosephi exemplar Græcum, quod in Philelphi bibliotheca fugientibus & exolescentibus literis repertum affer-
 uauerat, ei ad aliquot menses comodato mitteret: actu-
 tum hæresis postulatur, cogitur in senatu epistolam ab
 excusoribus, qui effervescente illo tumultu per vias collo-
 cati, urbem accedentes obserabant, interceptam recitare.
 Spem opimæ prædæ penè certam atq; exploratam uultu-
 rijs togatis hiantibus iniecerat Erasmi inuidiosum nomē,
 ea Pinus causa pro conuicto est, Erasmo quòd notus fit.
 Legitur accurate epistola, barbaris barbare tantum scien-
 tibus repetitur propter Latini sermonis ignorationem
 identidem lectio, posci à Pino Iosephum deprehenditur;
 nullum pertinens ad hæresim uerbum, tutò omnia, circu-
 specte cauteq; scripta omnia. Hui quam acerbe stomacha-
 tur falsa sua expectatione calumniatorum cohors. Eripi-
 tur è luporum fauibus præda, Pinus hæresis suspitione
 ab inuitis liberatur, noxæ eximitur, quadruplatorum co-
 natus prolixe secureq; ridet. Reliquorum, quibus sexcen-
 tis aut notam impresit, aut multam dixit & irrogauit,
 numerum non inibo: exitum enim orationis non repe-
 riam, si singula crudelitatis exempla publice Tholosæ
 edita persequi statuam. Vrget me iustus iam dolor, uin
 amplissimi

amplissimū, ut qui aliorum naufragia recenseo, quibus
 procellis in hac urbe iactatus sim, referam, ac meas iniu-
 rias uerbis utcunq; ulciscar. Vos quām iniuste sim op-
 pressus, & in uincula coniectus, non docebo: quos cum
 communis patriæ societas, tum causæ mee æquitas mouit,
 ut hic apud barbarum immanemq; populum iudiciorum
 laqueis irretito, à propinquis nudo, nulla cognatione mu-
 nito mihi, & multis incommodis difficultatibusq; affecto,
 ad deprecandam meam calamitatem adesse, ac parentes,
 Dei, salus deniq; meæ uitæ, fortunæ, dignitatis, nominisq;
 esse uolueritis, utque singulari in me benevolentia & di-
 uino studio meis dubijs misericordisq; temporibus extiteritis.
 At quid causam Tholosæ præbuit, ut me in carcerem
 coniiceret? Hoc à me explicandum est, uiri amplissimū, ne,
 qui me non norunt, intolerabilem Tholosæ seuitiam lau-
 dent, & me merito meo molestia affectum putent. Causa
 igitur ea una fuit, ut ne solus eloquentiæ laude uirtutisq;
 existimatione nobilis, ab hac urbe integer aut intactus abi-
 rem, & quæ singulari suo fato omnes literarum amantes
 ignominijs appetit, me simul ante meum hinc discessum
 iniuria aliqua iactaret, atque ob nominis mei celebritatem,
 quod in his locis multum est, & longe lateq;, si quòd
 aliud, patet, poenas tandem dependerem. Ita non criminis,
 sed uirtutis reus, non quòd turpis, aut nocens essem, non
 quòd improbe aut scelerate, sed quod laudatissime uitam
 egisse, non odio bonorum, sed iniuria pressus inuidio-
 rum, non propter magnitudinem scelerum, non propter
 aliquam ætatis infamiam, sed propter uirtutis famam, pro-
 pter ingenij laudem, ad barbarorum pedes prouolutus

misere

misere tacui. Verum nisi me bona spes posteritatis fallit,
 quorum scelere uiolatus sum, eos uocis libertate perstri-
 ctos, & inustos uerissimis maledictorum notis, tradam
 hominum sempiternæ memoriae, perficiamq; immortalibus
 scriptorum meorum monumentis, ut Tholosam tetram,
 crudelem, nefariam, barbaram, literis infensam, à misis
 auersam, bonorum laudi duram atque inimicam, uirtuti
 iniquam, inuidam, sceleratam, profligatam, nequitiae offi-
 cinam, breuiter, uitiorum gurgitem, flagitijsq; omnibus
 refertam atque abundantem, mei testimonij fide secula
 omnia sibi in posterum inducant, & semper prædicent.
 Iam' ne sentis bellua quam non assentiatur Gallus, quam
 non omnia omnium auribus dare, quam non applaudere,
 quam non uitiosis blandiri nouerit? Erupit à me aliquan-
 do uera & Gallici animilibertate digna uox: qui si hanc
 personam deponere uellem, aut si te adulatorem imitarer,
 Tholosæ barbariem, Tholosæ in doctos odium, Tholose
 in plerosq; crudelitatem, Tholosæ dolos, Tholosæ ca-
 lumnias, & probarem & laudarem, sed tu isto fungeris
 munere, parteis istas obibis: qui ad sceleratorum flagitia
 ad unguem affabreq; es factus, & bene appositus, qui ad
 Barbarorum immanitatem pulchre connuere didicisti,
 Barbarorum studia, scelestorum animos amoremq; istis
 obsequijs tibi concilia, profligatos homines tibi ista ra-
 tione adiunge, flagitosorum tibi autoritatem quære, inui-
 diam mihi excita, inuidiam uirtute partam, gloriā, non
 inuidiam puto: indignorum odia mihi in lucro pono.
 Pari animi altitudine Galli liberos ad barbaram ciuitatem
 mittere non uerentur, gnari illi quidem nullam tantum
 esse

esse barbarorum asperitatem, quam constantia & prudens
tia facile non effugias. Nunc mihi faciendum est, uiri amplissimi, ut quae a me audacius neglecta senatus consulta pluribus argumentis absurde colligit, illa a me neque labefactata, neque conuulsa reuincam, & de inuidia, quam in me ea accusator traciebat, nunc quicquam deonarem. Ego senatus autoritatem contemnendam monui? qui legibus parere, qui magistratui dicto audiens esse summe semper uolui? A me senatus consulta infirmata? qui nihil praeterquam ex senatus iure autoritateq; aut auxilij, aut spei, cuiquam expectandum uidetur? A me senatus consulta contemptui habita? quibus semper assurgo, atque a cunctis mortalibus assurgendum censeo? In hoc ne nostra quod iste calumniatur, tota oratio laborauit? Ut senatus decreta despicienda, ut pro nihilo putanda probarem? que si tollas, nihil in terra constet, nihil integrum, nihil ab iniuria in columnne, nihil tutum homini ulli maneat? Non hic queratur, uiri amplissimi quam multa uerba in eam rationem fecerim, id uero uobiscum reputate, qua fide, quo animo, singula ipse dixerim. Etenim non quid dicatur, sed quo dicatur animo accurate uidendum est. Liberius causae inseruisse, uehementius, quam res forte poscebat, meas medicendi uires periclitatum fatear. Quis tamen quicquam a me dictum conuiciandi consilio, aut senatus consulta labefactandi uoluntate, sibi continuo persuadeat? An quae Cicero romanæ eloquentie & autor, & princeps, multa in iudicijs aduersus patriciorum superbiam, plura aduersus tribunorum impotentiam, nonnulla in senatorum corruptas iniquasq; sententias dixit, eo animo dixisse putas, ut patricio

patriciorum dignitatem eleuaret? ut tribunorum autoritatem
 infringeret? ut senatorum nomen labe ulla foeda-
 ret? Quis ob eam tam aspere perorandi licentiam Cicero-
 ni periculum faceſſiuit? quis id Ciceroni capitale fuſſe
 testetur? Tu'ne, Pinachi, absurdō ita ingenio? ut pro re-
 nata, pro tempore & loco, oratores uti oratione nescias?
 tu'ne adeo actionum rudis? tu'ne eum in modum forensis
 consuetudinis oratoriæq; exercitationis ignarus? tu'ne ita
 in dicendo insolens? tu'ne sic penitus communis pruden-
 tie expers? ut caſſae, quam ſuſcipimus, omnino patroci-
 nari neceſſe habere nos ignores? ut multa interdum uel
 fingere, uel officioſe nonnunquam mentiri, ut ſimulare,
 diſſimulare, arcem ex cloaca facere, ſublimia deprimere,
 abiecta attollere, ſummo iure aliquando agere, de iure
 quandoq; decadere, omnia deniq; uariare, peruertere,
 tranſferreq; concessum oratori, atque ſolutum dubites?
 Nouit hoc, quam tu, melius, ſingularis senatorum pru-
 dentia: qui ſi tam leues ad mulctam irrogandam, aut ad
 ſupplicium ſumendum fuiffent, quam tu ad nomen no-
 strum deferendum audax, non hic modò meam innocen-
 tiam defendere, non poenam tam leuiter euolafsem,
 iniqua opprefſione antea euersus, priuſq; mulcta circum-
 uentus, quam innocentie meæ defendendæ facultate con-
 ceſſa. Hoc inter conſtantem & inconſtantem, hoc inter
 prudentem, & ignarum, hoc inter æquum iudicem, &
 calumniatorem interefſt, quod hic omnia detorquet, reſte
 dicta calumniatur, innocentissimo cuiq; inuidiam pericu-
 lumq; intendit. Conſtant autem & prudentia præditus,
 innocentem de reis eximit, æquum ſe rebus æquis prebet,

impr.

imprudenter lapsis non superbe ignoscit, diligenter omnia
accurateq; discutit, ut suum quisq; ius atque æquum bo-
num obtineat, non dolosa uerborum interpretatione in
discrimen uocetur. Fecit illa senatorum equitas, ut non
tuis obrectationibus conciderim, ut tuis calumnijs non
succubuerim. Persepsit me sociorū dignitati studere, non
senatuscōsultis reclamare. Vedit me sociorum coniunctio-
ni prospicere, non senatus autoritatem despiciatui duce-
re, cognovit me sociorum libertatem tueri, non regiam
maiestatem minuere. Denique intellexit illa, illa inquam
grauissimorum prudentissimorumq; senatorum diuina
mens, ex æquitatis obseruantissima, omnia à me amantiissi-
mo fidelissimoq; erga meos animo dici, non ullo in se odio
me suffusum, non ulla malevolentia, non ullo detrahendi
studio, causæ susceptæ suffragatum. Tu solus mihi pe-
stem moliri, tu solus inuidiam anhelare, tu solus ad auden-
dum projectus, tu solus ad meum occasum præcursor ex-
emissarius esse uisus es. Moderate omnes tulerunt, mode-
rate à me dicta: qua id negotij aggressus sum uoluntate,
eadem me omnes dicentem audierunt. Nunc tu me hoc
ipso, in quo exultabat, ex triumphabat oratio tua, uehe-
menter persequere, nunc ignaue canis latra, uel, ut uul-
pes obganni, nunc me seditiones mouere, nunc me tur-
bas facere, nunc me regiam maiestatem ledere, nunc se-
natus autoritatem infringere, nunc me miscere omnia,
effrenate uociferare. Me miserum: inuidiae incendio con-
flagrabo, plebis concitatæ impressione opprimar. Intelli-
gere uos opinor, uiri Ampliss. non hic me serio loqua-
tum, sed subobscure cum inimico iocatum, eiq; animi

gratia illusisse. Etenim mihi ipsi constare uelim, neque superiore meæ orationi repugnantia tueri. Quæ modo de senatus æquitate iustitiaq; dixi, ad primam meam orationem referre, & hic dicta illudendi consilio dixisse me, illic à me confirmata, uere confirmata, nuncq; me denuo confirmare existimat. Proximum est, ut nouum & in auditum crimen nostri accusatoris noscatis. Atrox fuit facinus & immane, atque gladiatorio animo plenum, factum in me mendacijs stimulare: atrocius multo fuit & immanius, supraq; omnem crudelitatem, quod in me excoxitauit, uosq; audire cupio. Venditarat suam iste apud Tholofanos ciues eloquentiam, suam dicendi facultatem ad ulciscendas iniurias, quas sese à me accepisse interpetrabantur, grammaticus gloria appetens, & laudis cupidus ultro detulerat, promissis ut stet, fidem ut datum liberet, in me ut concionetur, hominem persæpe rogant: uiribus hic diffidit, acrius illi urgent, uerbis cefsantem calefaciunt, perfidiam obijciunt & leuitatem. Sic ad onus suscepsum subeundum coactus, & robore destitutus, consilium capit, ut percussores summittat, qui facta manu, & inita coitione uitam mihi ferro eripiant, ac eum de medio tollant, cuius ille oratione debilitatus refrixerat. Non uos præterit, uiri Amplijs, quoties conductæ ab illo operæ, & spe pretioq; sollicitati bene multi grassatores, insidijs uitam petierint meam, quoties me obsederint, quoties me domo tenere, quoties publico carere coegerint, quoties armis uolare, & male mulctare sint adnixi. Effugimus tamen ex istius, & suorum gregalium lanistarum insidiis,

neque

neque me ui oppressere. Enim uero saeuire in me quando non potuit, uerborum obsecnitate perfudit, erimosis me libellis, & quæ persona mea minime suscipit, famosis dicterijs aspersit. Porcum meo inscriptum nomine, tota hac urbe rheda uehendum curauit, turpi me imagine palam spectandum præbuit, is ipse non porci solum nomine, sed porci effigie sanè quam dignissimus, qui in omnium scelerum flagitiorumq; cœno, ut porcus in luto, assidue uolutetur. Intelligo quam hic à me uehementiam expectent, & quam me grauitate hac orationis meæ parte defungi uelint, qui me amicitia comprehendunt, & tam indigne Doletum læsum douent: sed non committam, ut quæ modice me tangant, & in me sint absurde ab inimico congesta, aut dolorem mibi uideantur inurere, aut stomachum facere. Illa sic obsecne & turpiter facta, obsecni turpisq; hominis fuorem non extinxere, concionem non ullo rhetoricae ornatu expolitam, sed tam multis compotationibus nocturnis elucubratam, quam crapulam, & stomachi cerebriq; cruditatem exhalantem, in me foede euomuit, eademq; nos se contaminaturum dissipat. Tandem aliquando resipisce, Pinachi, & te ad mentis sanitatem recipet: tete ipsum respice, ac, ut quidam morbi grauitate sensusq; stupore, obtuso sunt ad cibi suavitatem percipiendam palato, sic tu amentia occæcatus, adhortationem nostram ne repudias: facestant turbulenti tui conatus, conquiescat tuum arrogans importunumq; ingenium. Ego nihil iam uereor, ne quid inuidiæ nubi in posteritatem redundet: tu fac cogitatione assequare, quanta tibi impendeat,

e 2 pendeat,

pendeat, quem Galliae magistratus cerdones appellare non puduit. Prætermitto que plura posthac in hanc rem, grauiorâq; disceptabo: Galliae magistratum dignitatem defendere id temporis non conabor, qui nullis cuiusquam obrectationibus labefactari possint. Quod si Tholosam magistratum grauitate commendare uoluisti, quare cetarios, lanios, cocos, fartores, pescatores, unguentarios, rhedarios, & istas hominum quisquilias non laudasti? qui Tholosæ magistratus obcunt, qui rebus Tholosæ præsunt? Hic quod ego nondum statuo mihi esse dicendum, tu tamen id potes cum animo cogitare. Abstersum mihi metum aliquando sentiam, & quibus magistratus nostros laudare, tuosq; perstringere commentor, proloquar libere, timore nullo uera scribentem reuocante. Facit hic autem tuæ & calumniæ, & stultitie admiratio, ut quem missum facere decreueram, paucis te adhuc compellem. Vbi illud ingenij acumen, quod tui in te mirantur? ubi ea uehementia? ubi calliditas? ubi ueritatis? qua cuiusq; sententias subuertis? Ingenij laudem quærebas? an tuæ inertiae specimen præbebas? dum nostra oratione dissolutum, tuæ declamationi affinxisti hoc ipsum est. Non uetat senatus diuîm aliquem tutelarem coli, non statos dies à nobis celebrari, non religionem prohibet. Causas tot inter nos turbarum tollit, sodalitates iniri uetat, unde tot disfidia, tot iurgia, tot rixæ, tot pugnæ, tot cædes. Hæc & his similia prima mea oratione dilui; turbas pugnasq;, non sodalitatum nostrarum institutionibus exoriri, sed suo cuiusq; male pacato animo priuatissq; odijs atq; inimicitijs nasci processauit,

bauit, te solo dissentiente, præterea nemine. Huius calumniæ atque maledicta cogunt me uiri Ampliſ. ante dicta ſepiuſ repetere, quibus tamen, quantum in me fuit, temperate uſus ſum, uobis ut hoc tantum conſtaret, illum omnia eodem modo & calumniam & mentitum: quod quia uobis perſpectum conſido, quid uos ut ne in alijs quidem, ſi quando reſpondebit, fidem adhibeatis, aut monebo, & rogaſo? Ex animo uobis nunquam id excidat, Veritatis fines qui ſemel tranſilit, qui uerecundiæ repagula frangit, qui pudorem proſtituit, ad omnia impudentem eſſe, & audacem. Reliquum eſt, Pinachi, ut nunc te horter, quia adhortandi locum eſſe uideo, tecum etiam atque etiam reputes, quid egeris, quo progressus ſis, quos leſeris, quibuscum tibi odium interceſit. Neque de illo quicquam tibi præscriptum à me præfinitumq; uelim, quo minus lingua mecum certes, & ingenio, ſi quid ingenij habes, atque omni dicendi facul-
 tate, ſi qua uti potes, contendas. Cæterum ſi maledictis, quibus abundas, & procacitate pugnare, ſi tu ferendis rumoribus atque neclendis in me calumnijs ueterator eximius, non temperata diſceptatione, ſed dentata char-
 ta, & canina facundia contendere decreuisti, iſti tuo ori nimio libenter ſuccumbam, maledictis pugnaturo ce-
 dam, maledictis me uinci facile patiar: ſempiternum in
 hoc genere silentium à me tibi pollicebor. A qua ſen-
 tentia ſi me abduci ſentias, abs te ſponſione laceſi po-
 ſtulariq; non grauiter feram, iusto te ſacramento me-
 cum ob eam rem contendere, aut in rem præſentem ue-
 nire, manumq; ex iure conſerere, tabellis obſignatis me-

cum agere non prohibebo, tibi hic uadimonium promitto, quod nulla dubitatione obibo. Hac meæ factæ tibi sponsonis fiducia prædes, uelut litis vindicarum sat is te accepisse, et me nexum iniijisse putato. Appella, interpella, obstrepe, obloquere: cui uia ista non pateat? nihil tam uolcre, quam maledictum, nihil facilius emittitur. Quis, quam uelit petulanter etiam sine argumento non maledicat? Conuicijs agere omnibus datum est, animum cohibere paucis: cohibebo tamen, et mihi pudor perpetuo moderabitur. Constantis famam modestiq; consequar, tuumq; in me odium non sorbebo solum, sed facile etiam concoquam. Tu procacis atq; uerboſi nomen omnium opinione subibis: meam omnes laudabunt constantiam, leuitatem ridebunt tuam, ac nihil magis te loquacitate uti, quam picas garrulitate per strepere mirabuntur. Silebo, luculentis scriptis aliquando responsurus, tacebo non subita tecum repentinaq; oratione, sed ui dicendi maiore, et acriore conatu acturus. Quod quisque nostrum de se ipse interim loquatur, non sanè requirendum est, uiri docti iudicent, id ipsum est maximi momenti et ponderis. Probris in me inuade, quorum tetram licentiam exercitationemq; intolera bili procacitate et diurna insolentia munisti, mihi ne labeculam quidem tua uituperatione asperges: in illorum numero esse malo, qui à te uituperari solent: magnam mihi letitiam dabis, si, quem rebus alijs superare nequeas, in me insanis furiosisq; pro tua consuetudine conuicijs irruas. Libidinem maledicendi tuam, petulantiam, audaciam, exprome, ex his tot conglomeratus es, nihilq;

nihilq; appetet in te ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. Age nunc impurissima illa tua uerborum procacitate, effrenato ore, illoto sermone, obscoena loquacitate, in me incurre, tuam obtrectationem sentinam in me exhausturum te comminare. Quid te iratum, et à me exulceratum, si possis, facturum dubitemus qui cum mihi antea maledicere iure nullo posses, omnibus nihilominus conuitijs obrueris? quid Iesus non audebis? qui nullam nactus maledicendi occasionem totus in maledictus fueris? quo furore non rapieris repulsus, qui sponte insania effurbueris? Tu, sat scio, ne à me quidem fractus et debilitatus, minues audaciam, nec ruere demens, nec furere desines. Hisce ne quoque cuniculus, altercationis nostræ inuidiam, ex qua laboras, declinaturum te, et in me istius dissensionis odium derivaturum speras? quod quicquid in nos Gallosq; iniuriæ congereris, congesisse, si quando, qua modo utor oratione, in apertum proferam, negaturum te inter tuos dictitas? Hæc illius cautio est, uiri Ampliss. eo se modo posteritatis reprehensionem uitaturum spem stulte concipit. sed uestra mihi aderit fides, testimonioq; confirmabit, prorsus me comminisci nihil. Præsentes omnia audistis, præsentes iniurijs me ab eo affici intellexistis, præsentes ad acerba istius in uos conuitia tacitum ostendistis. Inani modo spe sibi ad blandiatur, inani se cogitatione sustentet, conceptis uerbis peieret, prævaricatorem, si uelit, apponat, qui huius turpitudinis onus sustineat: ueram tamen æquamq; causam nostram, cum in lucem exhibet, omni asseveratione asseretis, testimonium

pro me secundum fidem & religionem uestram grauiſſime dicetis. Non magis ista ſibi mendacijs pollicitatione ſeſe à turpitudine malediciq; fama explicat, quām ueſtra à me ſtudia abalienauit, dum uos commonefacere uifus eſt, in me ſpem ut ne poneretis, qui excitato tumultu & incenſis in uos Vasconum animis, erumpentiq; Tholofanorum grammaticarum colluuie, inito certamine pedem tacitus referrem, uosq; in media pugna relinquerem. Nihil hæc uos inepta aduersarij adhortatio mouit, nec ueſtram de me opinionem minuit, qui mea erga uos ſtudia perſpecta iampridem explorataq; habeatis. Nullum tempus, uiri Ampliſ. neque diurnum, neque nocturnum à me dimiſſum ſcitis, quin de ueſtra dignitate atque existimatione, quæ cogitanda eſſent, ſtudioſe commentatus ſim ſemper, atque meditatus: que curanda aut conficienda uiderem, ea non modo non defugerim, ſed appetenda mihi atque etiam depoſenda putarim. In ea ratione procuranda uſque eſſe uolui, dum mihi Gallici oratoris munus obeunti licuit, quieui, quoad non licuit, iam non ſolum licere mihi, ſed oportere & neceſſe etiam eſſe arbitror, niſi, quam à uobis gratiam & benevolentiam meis tantis laboribus offi- cijsq; collegi, temere effundi uelim, & his uocibus à uulgo increpari. Hiccine Gallus ille, qui Gallos instanti periculo defendebat, nunc oppreſſos dererit? Cauēbo omni opera, diligentiamq; ſummam adhibebo, hoc ne cri- mine proditionis acculer. Si enim ille ipſe ſum, qui id in primis deum ſemper penè improbe flagitaui, ut quo in uos animo eſſem, ostendendi facultatem occaſionemq; nanci

nanciscerer, letitia summa num efferar? aliquando tam
opportune commodeq; cecidisse, ut uos meo beneficio,
opera, præsidioq; utamini? Hanc tenebo occasionem,
fortunam hanc mihi à summo Deo datam tuebor, meis uos
uiribus utemini, pro meæ erga uos uoluntatis magnitudi-
ne, admodum parum, pro conatibus, plurimum. Hāc ego
diu facultatem expectaui, ad hoc tempus me uiresq; reser-
uaui, ut & mei in dicendo laboris laudem aliquam (cuius
studio trahimur omnes) consequerer, & uobis opem tu-
lisce dicerer. Cupij iamdiu, & uehementer cupij, concedi
mihi, ut, quæ uestrorum in me singularium, & innume-
rabilium beneficiorum memoriam præstitisse me, non so-
lum dum anima exupero mea, sed me etiam mortuo, indi-
carent, monimenta ederem. Itaq; hanc habetis orationem,
& meæ perpetuæ in uos benevolentiae amorisq; indicem,
& pro meo dignitatis uestræ defendendæ studio obfi-
dem, uobisq; pignori prædijs & prædibus obstricto da-
tam. Sed nec me quidem suis conuiciandi uiribus minisq;
conturbabit obrectator, quanquam nullam excellentem
Latine dicendi scientiam magnopere teneam: non ut ab
ijs meis institutis cogitationibusq; abducatur, perficietur, facile
huius conatus comprimam, facile huius furorem supera-
bo, facile triuialibus & scurrilibus huius conuicijs respon-
debo, ab hac religione officij non declinabo, ab omni offi-
cij impensa in rebus uestris facienda non retardabor. De-
uotam nobis & constitutam istam hostiam puto, illamq;
desponsam mihi & destinatam laudem, glorieq; meæ sege-
tem & materiem reor, ut fortiter uestra causa labores,
contentiones, inimicitias, odia periculaq; suscipiam, qui

e s uestra

uestra opera dignitatem, & salutem recuperavi, qui uigilias, curas, cogitationes, solicitudines, studia, consilia, uiresq; omnes uestras, in mea existimatione & defendenda, & augenda semper collocatas cognoui: quibus nisi rationem in eam, nubiq; apprime curae sit, quoquomodo ut respondeam, magnam perfidiae scelerisq; infamiam nubi strui, ac ingrati immemorisq; animi macula notatissimum futurum me, & animo et oculis cerno. Non aequum est, cum uos ad promerendum officium tam fueritis expediti, me ad referendam gratiam esse tardum. Iam finem dicendi faciam Viri Amplissimi, uos quod facitis, perpetuo me amate, ego, quod facio, dignitatem uestram in perpetuum ab inimico rum uiatq; iniurijs defendam, & tuebor.

D I X I .

STEPHANI
DOLETI EPISTOLA
RVM LIBER
PRIMVS.

STEPHANVS DOLETVS, ARNOLDO
FERRONO S.



N PRIMIS & tuus ad me
scribendi labor gratus mihi, atque
iucundus est, & tam eximiam erga
nos uoluntatem uehementer ample
ctor. Iulio Cæsare Scaligero mihi
tua opera cōciliato, est plane quod
tibi plurimum debere me fatear,
tantoq; officio prorsus si non respondeam, tuum certe
nostrum tam studiosum animum gratia aliqua imitari con-
tendam. Tu uelim hoc tibi persuadeas, apud memorem
beneficium te posuisse, idq; ut intelligas, dabitur à me qui
bus in rebus uoles, opusq; erit, diligenter opera. Equi-
dem tua in me studia dubia nunquam habui, tanta meher-
cule esse, quanta tu nuper ostendisti, nec arbitrabar, nec
sperabam. Superasti meam de te expectationem, ac, quem
leui solum amoris significatione antea tibi coniunxeras,
summo studio in perpetuum deuinxisti. Habet tandem,
quod unum benigni officiosiq; querunt, gratum in ære
tuo hominem. Ego uero ea sollicitudine sum, qua illos te-
neri facile perspicias, qui alienis meritis obstricti, memores
uideri

uideri student, atque omni nexu obligationeque liberari cuperint. Gratiam habere me certum est, id sanè labore, cumulate ut referam. In quo tua ut officia forte ipse assecurar, hoc mea tamen ratio erit deterior, quod tua tu sponste benevolentia me comprehendenderis: ego, ne tibi cedere in amore censear, prouocatus adnitor. Vnum amantis fuit, et solutum, quo nulla reprehensione abstinuisses. Alterum obligati est, et necessarium, quod sine iusta ueraq; barbari animi accusatione non prætermittam. Non ægre tamen fero, ut tu amoris atque officij plenus nos ad amandum appellaris, et ad officijs contendendum prouocaris. Huius laudis usura dum me libentissimo fruere, curabo, ut, quando primas mihi in hoc genere præripui-
sti, postremas quidem ne teneam. Quid te adduxit, ut in
tuis ad Scaligerum literis legitima quedam fuerit accessio
laudis meæ, nec ea vulgaris, sed cum aliquo insigni iudicio
nostræ eloquentiæ, nulla assequi coniectura mediussfidius
queam: nisi amicum magis, quam uerum tuum de me te-
stimonium tui in me amoris abundatiæ tribuere, non iudi-
cij loco habere libeat. Amabo te, mi Ferrone, etiam atque
etiam uide, ne, quam sustinere modo nullo possim, apud
doctum uirum opinionem de me excitaris, cuique summam
laudem tua prædicatione adferri putasti, dedecus pararis
non minimum. Infantem literarumque rudem offendent,
quibus singulari eloquentia præditum me confirmas.
Prorsus, quanti me facias, satis superque testatum relin-
ques, nec non abs te omnia accepisse me putabo, si quas
tueri posse uidear, laudibus me efferas, nec mihi nomen
eloquentis assignes, Budæo alicui Longolio'ue proprium,
mihi

mihi nihil dum idoneum: qui si quid ex huiusmodi laudum cumulis fructus uoluptatis ue capiam, id ipsum est, ut cum me ab eo, quo adornor, longe abesse sentiam, non tam me ab amicis laudari, quam ad præstandam illam, quæ de me excitata est, expectationem fidelissime admoneri existimem. De mutua mea erga Cæsarem Scaligerum uoluntate, hic ad te pluribus uerbis non scribam: tantum rogabo, id tibi primum in animum inducas, deinde Scaligeru[m] persuadere coneris, quem plus illo aut amem, aut laudem, esse planè neminem. Saluere à me hominem iubebis, & omnem illi operam meis uerbis haud dubie policebere. Quod extrema tua epistola scribis, mirari te, Aquitaniam uestram à me tam uehementer conuitijs laceratam, non intelligo, cur tam acerbe uexatam esse dicas, quæ ne uerbo quidem ullo à me oppugnata est. Nihil dispu[n]to de priuatis meis, ijsq[ue] honorificis de Aquitania sermonibus: illud assero, etiam cum suscepisti à me negotij rationes non ita protinus ferrent, in oratione mea nullam me non modo laudem ornamentumq[ue] Aquitanæ detraxisse, sed quod potui, & licuit, omne semper addidisse. Recordare quam diligenter amanterq[ue] Aquitanos præmonitos uolui, ut, si causæ seruiens, asperius in illos quicquam ardentius ue proloquerer, æqui boni facerent. Collige, quibus uerbis, qua honoris prefatione identidem molliui, quæ Aquitanis duriora uisum iri noscebam. Fac tibi in mentem ueniat, quanta uos religione subinde obtestabar, ut à me flagitos perstringi existimaretis, probis contra labem aspergi nullam. Iam hoc non potest tibi fidem non facere, Aquitanæ nomini, Aquitanorumq[ue] dignitati atque existimationi

tioni tam fauere me, quam qui maxime. Quod si parum ex animo scriptum suspicaris, iurabo uerissimum pulcherrimumq; iusfirandum. Ne uiuam, si plus Gallia mihi iucunda est, quam Aquitania chara. Ac ne ignores, quid me maxime mouit, ut oratione tam acerba uterer, dicā aper-te, sicut et nostra iam amicitia et meus simplex animus naturaq; postulat. Contumeliam tam grauiter fero, quam diligenter caueo, iniuriam ne cui faciam. Sed scito ea, que Pinachius cum oraret, in Gallos præter rem congesit, mihi molesta fuisse, et in eam me accepisse partem, ut mirabiliter offenderer. Auxit dolorem nostrum hostilis animi significatio, ac ridicula gloriae cupiditas. Nimur quae illi causa fuit, ut Doletum lacefferet? ut cum Doleto congregederetur? ut Doleti argumenta, dialectica sua garrulitate calumniaq; petulanter conuelleret? Hic te doctosq; omnes appello. Num ut Doleti existimationem labefactaret? Num ut Doletum uel fregisse, uel uicisse uidetur? Quo pertinuit subobscura illa exclamationum nostrorum reprehensio? Locum subijciam. O Gallici nominis labem. Nostri cetera. Haec et his similia rite atque ordine a nobis usurpata, notanda censuit, uel ridenda potius, suorum tantum admirator, alienorum reprehensor contemptorq; nimius. Hac tam graui accepta iniuria, non inuitus etiam constantiae cessarem: at institit paulo mox acrius, perfecitq;, ut nisi de ueteri mea diuturnaq; in conuictis ferendis sententia depelli maluissem, quam inimico urgente quiescere, mea existimationis non solum oblitus, sed omnē salutis rationem abiecisse crederer. Fuit illi deliberatus me utcunq; euertere, quam amice mecum et ex aequo agere

agere, dum in me senatum commouere incendereq; decreuit. Itaq; saluti meæ consului, probauiq;, nec me senatus= consultis reclamasse, nec, ut ea quisquam contemneret, au= torem fuisse. Inclusum illud odium multarum eius in me iniuriarum omne simul effudi: missus est inuidiæ sanguis, nihil postea residuum apparebit. Pinachium unice dili= go, & illius ingenium non aspernor, neque usque adeo me ab eo abalienauit literaria nostra altercatio, ut illum uel pilo minus amem: tametsi de multis audiam, quibus me paßim maledictis oneret, quamq; in id incumbat, ut suæ orationi ego iejune frigideq; respondisse iudicer. Ve= runtamen obtrectatoris procacitatem negligere, & dela= torum sermones repudiare multo duco antiquius, quam perpetua rixa atque ineptis iurgijs mea studia interpella= ri. Disrumpatur, clamet, exclamat, inclamat, luculentam illam, quam in nos meditatur, orationem proferat, suorum in me conuictiorum sentinam exhauriat, collectis ex Pogio Vallaq; execrationibus, suo me iure figat, confodiat: tran quilla mente nihilominus ero, & me interim literis inuola= um, commentabor, quibus aliquando illustrer, sentiantq;, qui me pungent, quod eos uicißim mordeat. At nunc re= deo ad id, unde cœpi. Suauissimum tuum in me animū

pergrate perinquam grate de osculari, tibiq;
spondeo, in meq; recipio, nullum tibi
à nobis defuturum studium,
quod ab amico proficisci
par sit, et amicū ex=
optare liceat.

Vale.

Tholosæ sexto cal. Febr.

STEPHANVS DOLETVS, ARNOLDO
FERRONO S.

Igitur duplicit te affecerunt nostræ literæ : iucundissimæ tibi fuerunt, & morbi, quo tenebaris, molestiam commodissime depulerunt. Hoc tam optato casu, cum omnium fortunas longe superasse, tum quod in eloquentiæ facultate positum est, multo maximis partibus exhausisse mihi ipse videor. Assumat id sibi oratorum vulgaris, ut sua uicidendi coronam audientem oblectet, ipso illo se se ambitiose uendit. Ego autem cur id mihi laudi gloriæq; dandum non arbitrer, unis me literis oblectacionem amico attulisse mirabilem, & medicinam languenti scisse presentissimam ? Non hoc facile præstat humilis abiectaq; literarum scriptio, sed qua sumus amoris erga magnitudine, idem fuit epistolæ nostræ euentus : ut, cù scilicet gratum facere summe omnium uelim, et quem perpetuo incolumem optem, tibi à me gratum tandem aliquid utileq; acciderit. Quod in meis laudibus tam multis iterum, & penè totus es, nouum nullum benevolentie documentum præbes, tuam mei commendandi consuetudinem seruas. Verum nihil istiusmodi agnosco, quod tu nimo quodam nostri studio & amore prolapsus, mihi supra modum tribuis. Quid nobis spei iniçis, ad quam me laudem uocas, perfacile video, currentem mea sponte me uehementer tuo iudicio incitari sentio. Quapropter opera quidem certe, diligētia, labore, assiduitateq; perficiam, ut si ad summum eloquentiæ gradum adspirare nequeam, omnia saltē de me falso prædicasse ne te iniqui iactent. Te uero mirari nolim, nihil à me ad hunc diem in lucem editum

editum. Consilio nostro moderatur, scite dictum illud,
nemine dignum nisi prudente SAT CITO, SI SAT
BENE. Premuntur in nonum annum, longoq; tempore
maturescunt, quæ non præcoccia, aut cruda, sed bene co=
cta, mox publicè gustanda proferam. Limam ferunt, &
latent, quæ exactè elimata per politaq; exhibunt. Id quando
ita est, Lucubrationum nostrarum desiderium perferto,
& amici existimationi prospici patere. Probarentur forte
in uulgo, quæ apud doctos iacerent, male culta & hor=
rida illa. At quæ in manibus habeo inchoata adhuc & ru=
dia, diligentia curaq; perfecta, quam adhibere speramus,
neq; rudibus displicebunt, neque eruditis non placebunt.
Non queo locum illum tuæ epistolæ prætermittere, &
summopere uellem silentio à me præteriri, in quo Aqui=
taniæ tuæ ades : tamen scribo, uoluntatem nubi istam tuam
uehementer probari, & plenum humanitatis pietatisq;
erga patriam animum. Meus me sensus admonet quanta
uis patriæ sit charitatis. Breui quoq; sic habeto : quanquā
nihil unquam Aquitaniæ oblocutus sum, illamq; semper
cupide laudaui, nihilominus malo, nubi bonam mentem
iracundiae tumore ablatam fuisse dicas, quam pluribus te=
cum de hac re disceptare. Cupis me, nisi fallor, pro ea,
quæ inter nos constituta est, amicitia, omni non modo
culpa, uerum omni etiam criminis suspicione carere : sed
quia culpa scelereq; grauissimo coarguar necesse est, si
Aquitaniæ prouincia tam nobili maledixisse conuincar,
per fortunas, ac omnem tuum amorem, quo me prosequi=
ris, tanti me criminis accusatione liberari absoluq; per=
mitte. Erectus conscientiæ meæ recordatione, tibi sacra=

mento confirmaui, nullo me odio in Aquitaniam suffusum, & illius tam esse studiosum, quam qui cupidissimus est. Quod si iurandi religione, excusationeque tam anxia parum forte profeci, iam precibus & gratia contendo, hoc tibi persuadeas, nulla me iniuria Aquitaniæ nomen infamasse, de Aquitania bene hactenus sensisse, nuncq; etiam amantissime honorificentissimeque & sentire & loqui. Quibus stomachum mea oratione mouerim, multos esse non dubito, neque eos ignoro, qui mihi partim dissimilanter irati, partim obscure infesti clanculum me exultarent, & tempus locumque nocti idoneum, nomini nostro detrahunt. Noui qui coram præsentes, mirum est, quibus me laudibus sine exceptione in cœlū efferant, quantopere epistolas nostras mirentur, quantum denique ad carminum nostrorum facilitatem suavitatemque obstupescant. Deinde uel lato digito auersi, non dici posse, quibus me uerbis è cœlo detrahant, quam conuitiose famā nostrā deprimant, quam aspere furioseque obterant. Horum interea fruor inceptijs, & quod ab adulatoribus sperare cauti est, id solum ab illis expecto, tam ad maledicendum promptis, quam ad stulte ridiculeque laudandum leuibus. Credas hoc mihi uelim, Doleto uix uerba dabunt, Doleto uix uultu & dissimulatione imponent, doli dissimulationisque eximio artifici, uel si mauis, architecto, atque redemptori in hac re priuimario. Per gratū mihi est, in nostræ existimationis propugnatione præstittisse te eum, quem sperabam, & decebat, hoc est, fide & animo singulari uirum. A' me autem summa in te studia officiaque, & in casu simili, & in rebus omnibus alijs expecta, non fallam opinionem tuam. De legēdīs
nostris

nostris literis Pinachio, res tota tui sit consilij. Mea quidem non magni interesse existimo: tu de hoc tuo arbitratu, statue. Excusationem tuam, quatenus me rogas, ut tuas nugas boni ipse consulam, in eam partem accipio, ut eadem me apud te uti putas, continuoq; existimes, quo numero apud te nostra esse confido, eo esse apud nos tua. Suavis noster familiarisq; sermo ne in alienas manus deueniat, me monere, tum uero uereri desine, utrancq; epistolā tuam, si uoles, in scindam, aut ita certe, ne quādo usquam emanet, asseruabo et recondā. Vale. Tholosae quarto Cal. Feb.

STEPH. DOLETVS, FERRONO S.

Epistolæ tuæ breuiter respondebo. Tanta ualeitudinis tuæ perturbatione uehemēter commotus sum: Nunc uero te planè confirmatū gaudio maximo efferor, et literis nostris gratulor: siquidem, ut scribis, totius corporis doloribus oppressum te recrearunt. De eo autem, quod te mihi purgas, morbum in causa fuisse, quo minus antea ad me scriperis, equidem excusationem tuam accipio, at eam omnino solam. Alteram, qua literarū tuarum rusticitatem traducis, tibi ut hoc loco usui sit, non aliter accipio, quam eum accipere decet, qui tuum ingenium atq; scribendi elegantiā ternis iam literis non obscure nouerit. Vtraq; epistolæ tuæ parte uarie me affecisti, et qua me in dies singulos magis magisq; laudas, et qua una mecum facis, ut quæ edere aliquando constitui, de Horatij sententia in nonum annum comprimā. Hoc meum tibi consilium probari declaras: illa tuum in me amore retinere te ostendis. Voluntas erga me tuæ significatio et si mihi iucundior accidit, certior tamen, quam hactenus fuit, esse nullomodo potest.

f 2 Sed

Sed consilio meo te assentiri, ut summe optabam, ita sanè magnopere letor. Utinam eius essent generis nostra scripta, ut quam mihi laudē allatura prædicas, illam mihi sponderent. Verum exibit suo tempore parturientis foetus, et parentem, si non fœcunditatis laude ornabit, à sterilitatis accusatione tuebitur. Quod ad Aquitaniam tuam attinet, gratiā tibi habeo, plus apud te ualuisse meum unius testimoniū, quām uarios nebulonū sermones potuisse. Ego amio excuso fortiq; sum, ut mea modestia et grauitas coniutorū supereret iniuriam. Prorsus eum apud me locum tenent obtrectatorū maledicta, quem apud Democritum quondā tenuisse admones. Nec illud quidē moleste ferō, ut qui nuper puppim nobis clauumq; sua spōte tribuebāt, nūc in sentina uix sedere patiātur. Spem quoq; ingredior, leueis istorum conatus et imbecilleis, ab animo nostro frimo et graui, tanquam fluctum à saxo, frangi facile posse. Extremū sit, ut me omnia tui causa uelle credas, putasq; te à me tantum coli et obseruari, quantū me abs te amari sentio. Tua in me benevolētia sic incensus sum, ea me tibi sic cōiunxit, sic deuinxit, ut nihil unquam in amore fuisse ardenter existimem. Diligūt me multi, et amplexātur, id etiam pridem et constanter faciunt, que res tibi est cōmuni cū illis, sed quòd tu ipse tam amandus es propter summum tuum ingeniu, tamq; mihi dulcis et charis propter suauissimos mores, id esse proprie tuū tu tibi persuadeto. Atq; hoc nolim me iocari arbitrere. Male mihi sit, si preter te quenquā reliquum habeam, in cuius amore libētius acquiescam, aut cui plus in omni genere operam darc, grificariq; studeā. Quare quid est, cur me tam anxie roges,

ut meis

ut meis te carminibus monumentisq; illustrem? Hoc ipsum pro mutuo nostro amore, aut proxime atq; tu, aut etiam æque cupio. Non erat opus rogatus tuus ; amicus amico imperare poteras, gnarus tu mehercule, omnia ab amico & posse & debere uel nutu obtaineri. Itaq; optatis tuis nō deero, quodq; tanto studio petis, à me nullo negotio ause res. Enitar profecto enim & contendā, ut Ferronū Doletō pernecessariū singulariq; amicitia coniunctū fuisse posteritas intelligat. Polliceor deferōq; prolixè & libenter, quod in me est, mēa omnē tibi operā & laborē. Tu caue magnum quicquā, aut te dignum à rudi & Latini sermo nis inopia plus cæteris laborāte expectes. Præstare ea tantum possum, quæ pinguis minerua suggerit. Poëticam huic uocem transtuli, & minus orationi aptam, ut me iam carmen cogitare uideas. Extra iocum, nū Ferrone, inertiam à te mēa rideri longè certe malim, quām in me requiri officium, aut quicquam tibi à nobis denegari. Versus igitur propediem ad te muttam, & tibi roganti obsequar. Cura te diligenter, & ualeudini tuae inserui atque indulge.

Vale. Tholosæ duodecimo Cal. Mart.

STEPHANVS DOLETVS, IOANNI
PINO EPISCOPO S.

M Eum erga te animum quantū semper uolui, studio mut aliquo meo cognosceres, tantū nunc etiā lætor, tui dum desideriū nostrum subleuare, & tecū uelut corā loqui, hoc scribendi officio licet. Atqui quo accidit certe quidem nobis istud optatius, eo quoq; uidendū est magis, ne, dum gratum facere tibi ipse putem, tuas, quibus te, ut quem maxime, distentū certo scio, occupationes interpel-

f 3 lem,

lem, et grauis tibi potius moles fuisque, quam gratus aut tui
 studiosus uidear. Ac ne forte ignores, quo tibi me coniun-
 ctum nomine tantopere uelim, cum ea, qua nemini iam penè
 homini nō cognitus es, eruditionis fama impulit me nō le-
 uiter, tum tui, qua omneis excipis, ingenij suauitas uehe-
 menter etiā mouit: ut mihi neque animo imperare integrū
 sit, neque pudore ita admodū terrear, quin tibi literis obstre-
 pam, inepti nomen planè subiturus, atque adeo insolentie
 nota arrogātisque animi suspitione uacuus apud te non fu-
 turus. Quod ipsum adscribi mihi iure ut optimo possit, ita
 mehercule pudore cessisse malim, quam tibi me cognitū no-
 lim, et hoc literarū munere familiarem. Omnino, quoquo
 id interpretare modo, equidē non labore, tantū postulo,
 ut cuius tuae nascētis laudis Longoliū testem laudatoreque
 habuisti, eandē illam latius iam radices agentem, admirari
 me non grauiter feras. Rem tua ipsius dignitate non indi-
 gnā, et mihi tam optatā, quam quae optatisima. Ecquis na-
 mirum ex nostris extra te, quem, uelut suum ille Bembū,
 studiorum meorum adiutorē honestius, aut meae laudis, si
 qua est, quae certe nulla est, defensorē vindicemque commo-
 dius confidētius ue deponcas tametsi ditiones, aut fortune
 copijs splendoreque longe cumulatores sequi possim, pro-
 batos nō item. Quae mea spes, atque non praecipiti animi le-
 uitate orta, sed certo contrā, exactoque sensu confirmata de
 te opinio, eo demū progressura est, quo tu in primis pro
 tua in omnes cōmuniter magna quidē illa, sed doctis sepa-
 ratim amoris argumento certiore cognita atque perspecta
 humanitate, modum tandem aliquando statues. Itaque Doletū
 tuum amore tanto complecteris, quanto te non pœnitibet,

id est,

id est, quantum eloquētiæ studiosos amari abs te dubitauis
nunquam, dubitoq; nunc sanè minus. Hæc autem eò ad te
scripsi, ut æque magni te à me fieri existimes, atq; me do-
ctis probari cupio, & à te omni studio amicitiaq; compre-
hendi. Vale. Tholosæ ad Cal. Sext.

STEPH. DOL. IO. PINO EPISC. S.

Noli putare, mi Pine, tuis mihi literis quicquā unquā
accidisse iucūdium. Ama me: tam suaves, amoris tam
eximij plena, tantæ etiam eloquentiæ eliciuisse me una epi-
stola? Sanè cum eam mihi fortunā omnes uehementer gra-
tulantur, tum uero immortaliter gaudeo, nobis amicitiam
comparatum, atq; animum erga nos perspectū tuum. Re-
liqua coram hodie præsens: ad te enim sub cœnam cogi-
to. Vale. Tholosæ quarto nonas Aug.

STEPH. DOL. IO. PINO EPISC. S.

TV fortasse, pro eo quantū me amas, & studiosorum
conatibus faues, nostris te ineptijs interpellari gau-
debis. Ego impudētis nomen non uitabo, qui tua primū fa-
cilitate abutar, tum infantia ostentare meam apud te non
uerear. Quod huiuscmodi est: Habiturus in frequēti Gal-
lorū Aquitanorumq; conuētu orationē, quam paucis ante
diebus fudi certe potius, quam cōscripti, tuo unius iudicio
uti in id demū statuo, nullius ut posthac metuā, aut si quid
forte me, ut meum, fallit, uerū ex te audiam. Nam ut à te
discessi, cuius in hoc genere iudiciū sequi potissimū uelim,
habeo cum prorsus neminē, tum reliquos tanti ipse facio,
quāti & hominū istiusmodi quisquillas, & inuidiæ, quam
laudi cuiusquā addictiores, par est à doctis fieri. Scio mihi
quātopere studeas, tuum erga me animum non ignoro id

f 4 quoq;

quoq; uideo, in me quot sese emissarios, quot obtrectatores intēdent, noui hominis noua laude commoti: quorū leuitatē risi ut semper magis, quām mihi timendā censui, sic omnem omniū inuidiā tutius cautiusq; negligātui si acuti atq; exacti iudicij ratio nostris scriptis accedat. Si quādo, nunc præcipue nobis hoc ipsum opus est. Obscro te, mi Pine, ne patere illū inertiae famā inscitiæ ue subire, quē tua non indignū amicitia, quem tua dignū familiaritate duxisti, qui tua uiri certe doctissimū eloquētissimūq; cōiunctione bene iam ubiq; audiat, & magnopere ab omnibus effera-
tur. Id abs te mihi concessum, id prolixē præstītū putabo, leuia si detrahi, numerosa si reponi, frigida intermortuaq;
si ad uiuū resecari, omnia deniq; si retexi iubebis, & amici
nomini prospectum, non amori indulgere, nec quicquam dare nostris auribus uoles. Non parū in hac re posse te,
exploratū habeo. Diem igitur ad te adeundi constitue, &
animū diligenter obfirma, audiendis nostris non uulgarē
uoraturus molestiā, & amici à te cōfōssi gemitu nullo stendus. Vi siquidē & ferro secāda, non parcentis mediā
manu curāda spectabis: quæ leuiter tractata saniem, depu-
rata formā nouam cōtrahent. Nihil attinet, hic etiā me plu-
ribus scribere, amici notas, lituras, dispunctiones, non sto:
macho mihi, sed deliciarum futuras loco, quas ab alio acce-
ptas, grauiter quām essem latus, equidem nescio: id
certo scio, modeste me non esse laturum. In summa cen-
soris partis, non connuentis, aut causæ nostræ indor-
mientis, obitum te speramus: idq; rogamus etiam atque
etiam uehementer, critici ne deſis officio, sacrum tua
autoritate efficies, imperitæ alioqui multitudinis iaculis
obruend

obruendum. Quam rem quoniam suspicor tibi magno dolori fore, fac quæso, ut nostræ existimationi consulas. Magna tua in me studia & incredibilia officia cumulo magno auxeris, nubi gratius commodius' ue nihil unquam feceris, & te semper sic colam & obseruabo, ut quem diligenterissime. Vale. Tholose.

STEPHANVS DOLETVS, IOANNI
à BOYSSONE s.

Nulla neque mei erga te amoris immutatione, neque tui obliuione commussum arbitraberis, te ut aut nihil dum inuiserim, aut tuis ad me uersibus longiore interuallo respondendum duxerim. Sanè de me sic existimes, ac tibi persuadeas, uelim, nubi te tuiq; ingenij ornamentis prorsus nihil esse charius atque iucundius, & amicitiae nostræ, quam inter nos uirtus, studiorumq; similitudo constiuit, memoriam à me sanctissime diligentissimeq; seruari. Addam illud etiam, quod silentio præteritum nolim, facile me in tui sermonis suauitate acquiescere. Sed que mea est in scribendo pigritia, & in anuicis uisendis tarditas, nullas à me adhunc diem literas accepisti, nec nostrum in te uisendo officium, ut par erat, constituit. Quamobrem tu quantum culpæ nobis sit in hac re & subeundum, & purgandum, statues ipse, & ut sperare uideor, statues ex tua facilitate ac singularis humanitatis fama. Ego, quod ad me pertinet, culpe quicquid est, id omne bona fide redimam, & tibi hoc in primis profitebor atque pollicebor, in omni genere officijs nullum te posthac à me studium desideraturum. Carminibus tuis carmina reddidi, eoq; nomine ab his literis sciuncta misi, ut nihil carminis seruitus cum orationis

f s t i o n i s

tionis libertate, ne chartæ quidem societatem, commune habeat. Hoc me tecum ad extremum iocari non moleste feres, & nos, ut soles, amabis: diligendo enim solum, nostræ de tua in nos benevolentia opinioni uix satisfacies.

Vale. Tholosæ.

STEPHANVS DOLETVS, IOANNI
à BOYSSONE S.

ITaque singulare est istud literatorum fatum, ut inuidia plus cæteris flagrent, ac molestijs iniquè premanentur. Styli adhuc pænam do, nocetq; mihi ea res inepta, ex qua laudem sperabam. Sed nulla separatim perturbatione afficio. Communis mihi est cum multis ista fortunæ acerbitas. Quare nec iam ualde mirer, nec grauius parte ex aliqua feram, quod literarum studiosis perpetuum esse scio, mihi tandem accidisse. Dolorem nostrum leuat communis quasi legis & humane conditionis recordatio. Reficit quoq; me & recreat multarum erga me amicitarum significatio. Nam cum antea sua sponte multi mihi occulce fauerent, tum uero tristissimo meo hoc tempore dederunt omnes non obscure documentum, Doletum quantopere uellent ab omni iniuria & incommodo sarcum tectum atque incolumem. Quanto uero mihi solatio sit conscientia mei facti, quantamq; allevationem in rebus miseriis musæ suauiores afferant, tu etiam tacente me facile assequi possis. Hoc unum habeo confirmare. Si esset in ijs eloquentiæ amor æquitatisq; studium, in quibus summum esse debebat, non laboraremus. Eximiam tuam erga me uoluntatem & probo, & laudo, teq; uehementer rogo, eam ipsam ne tempore ullo mutes. Ego idem in te sum uincilus

etus, qui solutus eram, tui uidelicet amantissimus et obseruantissimus. Fortem quoq; animum habeo et constanter, atque ad omnes casus ferendos paratum. Vale. Tholosae datum in carcere.

STEPHANVS DOLETVS, IOANNI
à BOYSSONE.

PArum fœundi ingenij, parum' ue gratum me usum iri putavi, nisi, quæ mihi et arguta et concinna carmina heri dono misisti, carminibus alijs augerem. Ea si minus forte elegantia et suauitate, numero certe tibi satisfactiona spero. Teq; rogo, ne, que in eandem rationem scribere coepisti, Accursij ineptiae remorentur. Vulgaris lingua superioribus literis me apud te usum nec mirabere, nec mihi eam ob rem negligentis nomen adscribes, totus enim adhuc de uia langueo, quæq; me curæ atque calamitatum concursus perturbatum habet, Latine scribendi alacritatem omnem mihi iamdudum ademit. Vale. Tholosae.

STEPHANVS DOLETVS, MINVTO
PRAESIDI s.

VNum iam atque alterum diem hic occludor, nulli neque culpæ affinis, neque criminis cuiuspiam gravioris accusatus. Me miserum. Existimationi meæ dum animose seruio, literis dum contendeo, ad obtrectatorum maledicta dum respondeo, ecce tibi, in carcerem coijcior. Fraudi mihi est, quod cum ornamento, tum præsidio esse debuerat, immodicum uirtutis studium. At uero tu quando literatis omnium cupidissime hactenus adfuisse usus es, obtestor te, Doleto ne desis, et hoc nomine tibi me obligari uelis. Ipsum illud quæ abs te suo iure postulent, nulla sunt

sunt mea in te officia: obseruantia certe ea est, cui non id protinus negandum censcas. Prohibeor animi perturbatione ne plura hoc tempore scribam. Ad extreum, obsecro te etiam atque etiam uehementer, hanc nobis molestiam dele, siquidem tanta tua est in eloquentiae studiosos benevolentia, quantam esse arbitror, prædicantq; pañim ad unum omnes. Hoc si à te impetrem, studijs nostris non parum consules, ex tuæ humanitatis laudem augebis plurimum. Ego tanti beneficij tui memoriam sempiternam præstabo, tibiq; me mancipio ex nexu proprium esse perpetuo profitebor. Vale. Datum Tholosæ in carcere regio, sexto cal. April.

STEPHANVS DOLBTVS, MINVTO
PRAESIDI S.

OMNINO neque negligentia, neque parum gratius meus erga te animus in causa certe fuit, ne carcere emissus tibi gratiam cum libentissime, tum officiosissime retulerim. Negligentem me negant, quibus perspectus est meus in literis labor. Grati quoq; nomen non inuitabili buunt, qui certum id habent, nihil me moliri studiosius, quam ut gratus memorq; beneficiorum tum sim, tum illud dear. Veruntamen negligentie nomine tibi me suspectum esse sustinebo, ingrati animi famam ne modo apud te susbeam. Accipe quæ pro tuis in me officijs cumulate refero. Te literarum præsidium, te literatorum defensorem propagatoremq; te diuina quadam, insigni, inaudita, noua, magnitudine animi, grauitate fideq; prædictum, te mei causa summos labores, grauissimas contentiones in senatu suscepisse, te meæ libertatis vindicem, te autorem, ducem, custodemq;

custo demq; salutis meæ, clara uoce profiteor, atque agnoscō. Quid quæris? Te Deum ac parentem statuo fortunæ & nominis mei. Hunc laudis fructum tibi præsens impertire decreueram, sed obstatit pudor, uel, cuius me insimulas, negligentia, uel quod uerebar, ne te grauioribus negotijs implicatum, superuacaneo meo congressu interturbarem. Nunc culpæ quicquid est, deprecanti condonabis, & me semper diliges. Vale. Tholosæ cal. April.

STEPHANVS DOLETVS, IACOBO
BORDINGVO S.

TIV quidem officiose atque peramanter, qui meum in te offensiorem animum, tibi recolligi tantopere uelis. In eam rationem accepisse à te literas, nuper mihi, cum in sermonem de te incidißsemus, Pinus noster signifi cavit, mecumq; penè precibus egit, quod nec illius apud me autoritas & gratia, nec nostra erga illum obseruantia, amorq; singularis pati debuisse uidetur, ut quicquid inter nos simultatis susceptum aliquando esset, id, si minus fortè ex animo, neque uoluntaria obliuione contererem atque oblitterarem, sui certe causa, literarumq; nomine nō inuitus deponerem. Profecto nec uiri tanti precibus, nec admonitionibus mihi non relinquendum locum putauis & quia nulla, ut interpretabatur, grauior suberat offensionis causa, cum in officio, tum in eius potestate esse me malui, quam amuci autoritatem à me modo ullo negle ctam. Sic tamen habeto: dissipatos à te iniquos quosdam de me sermones principio grauiter me tulisse, doluisseq; uehementer, quem nascentis meæ laudis non fautorem solum, sed uel acerrimum defensorem fore sperabam, nomen à te

à te uerbis labefactatum meum. Sed ubi hæc falso ad me
 perlata, aut suspicari libuit, aut negligere mihi tandem ui-
 sum est, resedit, qui prius iracundia efferuescebat, stoma-
 chus, & inclusum illud tuæ in me iniuriæ odium omne
 prouersus effudi. Itaque ut quasi testata omnibus sit nostra
 gratia, & me tibi reconciliatum, teq; mihi restitutum ap-
 pareat, id ad te literarum deditus. Tu quoq; fac, ut tuam
 in re eadem operam iure ne posthac requiram, & quem,
 à te diutius antea abalienatum, nunc tibi coniunctum ui-
 des, illum literarum officio studiose retineas. Amorem no-
 strum augebit ista amoris redintegratio, quemq; apertum
 meum ac simplicem animum, credulum forte etiam inter-
 dum nimis, abs te paulum modo disiunxit iniecta quedam
 conuictij suspicio, firmius tibi coniungeret noster hic in gra-
 tiam reditus. Verum iam familiarius, quod amicorum est,
 colloquamur. Que hic gerantur, accipe. Idem Tholose,
 quod semper antea, literarum odium, idem infantiae stu-
 dium. Ne longus sim: Idem stultorum numerus, eadem
 quoq; natio: sed fine maledicendi faciam, uel uera dicendi
 potius, ne uera diceti sit fraudi ueritas. Nos & literis dili-
 genter incumbimus, & bene ualemus. Oratoris munere
 (quod mihi scis datum à Gallis negotium) iam dudum
 sum perfunctus, quam ex sententia, quanta item nominis
 & laudis accessione malo tibi ab alijs, quam à me decla-
 rari. Illud interim habeo confirmare, qui liberius, que sen-
 tiret, palam sit Tholosæ professus, ante me fuisse nem-
 nem. Præiudicia à senatu aduersus Gallorum sodalitatem
 facta, oratione non minus luculenta, quam acerba disolu-
 mus: illam, dum licebit, describam, & ad te primo quoq;
 tempore

tempore mittam. Hoc ab amico munus nulla dubitatione expectato. Id etiam ne nescias, decurso oratorij nostri muneris tempore, successit nobis Thomasinus, cuius exscribendi, et dicendi genus notum tibi esse arbitror: is quae praestare possit, facile coniectura assequeris. Pinus nostra magnos articulorum dolores habet, nec iam quicquam cum hoc morbo constituit, ut uel biduo illi respirare quiete liceat. Reliqua proximis literis. Nunc tuum est, rerum tuarum omnium, et quam familiarissime, et quam saepissime certiores me facere, idque diligenter prescribere, quos isthic tibi coniunxeris, ad quorum te familiaritatem applicaris, in quorum te necessitudinem immerseris, ut colantur Lutetiæ Parisiorum studia, ut Græcae literæ celebrentur, quos suspicias, quos despicias, quos mirere, quos negligas, quos in cursu adhuc eloquentiae esse, quos ad culmen adspirasse censeas: ad summam, hoc si familiari litterarum genere me explebis, tam mihi gratum erit, quam quod gratissimum, et tibi me summo beneficio in perpetuum deuinctorum existimabo. Budeo te ualde uti, hic auditum est: gratulor tibi non mediocriter de uiri tam docti consuetudine, tecque maiorem in modum etiam atque etiam rogo, illius mihi benevolentiam amoremque concilies. Vale et me ama, et tibi in animum inducito te a me unice amari. Tholosæ sexto Cal. Decemb.

STEPHANVS DOLETVS, FRANCISCO
LANGIACO S.

Tame si mihi nihil minus unquam in mente uenit, quam te non respondere in amore ijs, a quibus prouocatum te non dubitas, negare potes etiam minus: tamen afficior summo

summo dolore, nemuni iam non datum suspicandi locum,
 aut abs te me nibili omnino fieri, aut eius generis nostras
 esse literas, ut fastidium tibi potius attulisse videantur,
 quam scribendi præbuisse argumentū. Evidem ut plane
 sim ineptus, aut grauiter accusandus insolētiæ, qui nullius
 ponderis homo, homo grauiſſimum te uirum, & autorit
 ate non minima, literis laceſſere audeam: quis tamen te
 omni protinus superbiæ ſuſpitione liberet, apud quem nō
 eo ſim loco, ut quarum ineptijs perpetuo ſiles, mea tibi
 literas graueis eſſe non ſcribas? Id uero tu ſi negotijs
 implicatus, aut studijs abditus facis, quod te facere coſcio,
 non quidem ferendus sim, qui te literis indoctis certe illis,
 ſed nostri in te studij plenifimis tam ſaþe prouocem. At ſi
 eò ſiles, ne, dum mutuae abs te literæ uenient, mea te ſem
 per barbarie infantiaq; obtundam, prudenter egiffe te illu
 dico, & meam insolentiam nunc primum rideo. Sed qua
 in me ſis uoluntate, ne diutius animu pendeam, carmen ad
 te mitto, cuius commotusasperitate, aut perpetuum mihi
 silentium imperes, aut tuae tam diurnæ ceſſationis exch
 eſtationem aliquam ſcribas, minime omnium ceſſator. Argu
 mentum autem huiusmodi eſt: Nouus apud nos eloquen
 tiæ parens ab orco prodijt: imo ab Italia erupit quidam
 ad nos & linguae Latinæ ignarus, & artium omnium in
 doctus nebulo, cui cum alia nulla impostura ſuccederet,
 hanc tandem pecuniae querendæ rationem inijt, ut tum
 linguae Latinæ uſum, tum orationis facultatem, & uerſu
 faciendi artem minus mense promittat: rem in omni mea
 memoria inauditam, & riſu perpetuo dignam, cuius ratio
 nem tibi ſi conſtare optes, perinde facias, atque ſi operam
 des

des, ut cum ratione infanias. Regem tamen (ut gallis facile uerba dantur) nummis pulchre emunxit, commentarios illos pollicitus, quibus nos uel inuitos aut stertentes, omni eruditione imbuat. Hic mihi deesse doleo, qui cum hæc prolixe rideam. Quid de ijs sentias, à te uehementer expecto. multos quidem in Gallia noui, quorum ingenio & labore perfectum iri spero, ut quam sibi eloquentiam, & literarum decus, Itali suo uelut iure assumunt, Gallis quoque commune intelligant, & nos infantes appellare aliquando desinant, qui neglecto literarum studio mollicia plus cæteris fluunt, atque liquescunt. Tu quæcunque ipse loca in carmine nostro animaduersione digna iudicaris, ea ad me cum tuis literis notata descriptaq; si quam celerrime mittes, rem gratam mihi facies, & te posthac scriptorum meorum omnium, quod absque tua molestia fiat, Aristarchum habebo. De fratre quid scribam ad te, nisi idem quod semper? illo nihil magis incolume, & insani extractionibus addictior planè nemo: ut de eo dici iam possit. Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis. Quorum consuetudine, hoc etiam tempore utatur, ex illius literis intelliges. Cuius porro animum à te alienorem fecerat, bonorum cupiditas & indigna homine ambitio, eadem ille inconstantia furit, qua tecum odium, ut ini-
 quum, ita quoq; omnium risu consindendum iam pridem suscepit. Vale, & literas ad me
 scribe, quotiescunq; habebis, cui des:
 ego neminē ad te euntē præter-
 mittam. Ex urbe Tholosa
 Calend. Maijs.

STEPHANVS DOLETVS, IACOBO
BORDINGVO S.

PErlerata est ad me utraque tua, & Budæi epistola. Budei quanta me letitia cumularit, non dubium habes, cui antea scripseram, literas ab eo me uehementer desiderare. Utraque tua uarie sum affectus, & quod nos in gratiam redijisse perspicio, & quod te mihi aut amore, aut ullo officij genere non cessurum significas. Gratus maxime fuit ille mihi epistole tue locus, ut debuit, tibiq; omni asseueratione confirmare non dubitem, amicitia nostram nullo neq; disilio, neq; falso cuiusquā sermone dissolvi dam. Sed ad epistolam tuam redeo: cætera belle, illud miror, & stomachor, Bedam tam immanem atque perniciem bestiam, pestemq; nefariam, ab exilio reuocatum. Eundem iterum scelerate quedam molitum rumor hic percepuit, & in vincula eam ob rem conieclum. Hoc cum uerum cupio, tum mehercule uota studiose facio, suis ut dignas flagitijs, & præpostero ingenio pœnas. Ioannem Copum restitutum tantopere lætor, quantopere Beda cœpiti, uel Gibbo & strumæ dira omnia pernicioſaq; precor. Reliquis humaniorum literarum studiosis tam misero turbulentoq; nostro hoc tempore eam mentem esse uellem, ut maiorem salutis commodiq; sui, quam nominis et extiosæ nescio cuius famæ rationem ducerent, aut caute circumspeteq; loqui mallent, quam omnia tanto discrimine propalam fundere. Hac prudentia & cautione usi, quos singularis doctrina illustrat, non stultorum ineptorumq; quorundam ferociam uel subirent uel perferrent, nec carcere, quod ferè fit, premerentur. De illo, qui homini rudi,

& gram

& grammaticorum elementorum ignaro, trimestri spacio,
 lingue aut Græcæ, aut Latinæ cognitionem sua in=
 dustria operaq; uelut uirgula diuina dari pollicetur,
 promptamq; & expeditam de re quauis dicēdi ac scriben
 di facultatem spondet, Italici ingenij portentosam osten=
 tationem agnosco, tum illius Horatij uersus mihi in men=
 tem uenit, Parturient montes, nascetur ridiculus mus. To=
 lerabilis utcunq; tamen hominis impostura uideretur, ea
 nisi regi illusurum se speraret, & quas omnes nouit pecu
 niæ uias, ijs apud nos uti uellet. Scilicet artis oratoriæ fa=
 cultate, uel dormientē beabit, qua, ut huius disciplinæ mo=
 rosi disceptatores præscribunt, abunde instructum, nulla
 post hominum memoriā ætas adhuc tulit. Amphitheatrum
 ad designanda memoriarum loca edificet, commentarijs Cice
 ronianæ locutionis à Mario Nizolio Veneto adiuuetur,
 ecquid sentiam, queris? uersum Horatij repe. Non mihi
 probabit triuialis rhetor, rem intra trimestre comparari
 à rudi posse, cuius partem toto uitæ cursu, aßiduo labore,
 cura, diligentia, uix quisquam assequatur. Sed eum sua frui
 insania per nos quidem liceat, temereq; promittat, cuius
 nec difficultatem norit, nec explicatam exploratam' ue rationem habeat. Est tamen, quod permoleste feramus, Gal=
 los ita barbarorum, & rerum externarum cupidos atque
 studiosos, ut sua etiam laudatissima negligant, aliena stulte
 ridiculeq; murentur, & sumptu magno emant. Nam quid
 ego de illo dicam? quem nullo modo mihi persuadebo,
 aut ad præstantissimam & à nemine satis laudandam Bu=
 dæi doctrinam, aut ad raram & stupendam Beraldi elo=
 quentiam, atque uolubilem linguam, aut Danesij Bunelliq;

puritatem & facilitatem, aut ad Thusani & Guillielmi
 Mayni reconditam atque eximiam eruditionem, aut ad
 Salmonij Macrini in uersu scribendo uenustatem, aut ad
 Borbonij iucunditatem accedere. Budæum tamen, & Gal-
 los omneis, qui literis liberalioribus politissimi sunt, in or-
 dinem redigi spectes, fortunis nullis augeri: cum interim
 ad Italorum uetus, nugas, & pulmone distento, buccisq;
 intumescentibus facta uerba conticescimus omnes, inten-
 tiq; ora tenemus, nostra patefacimus, elargimur, pro-
 fundimus, & ab astuta fraudulentaq; gente dolis circum-
 ueniri pulchrum sanè ducimus. Sed de his hactenus. Su-
 periores nostras ad te literas, quæ mox secuta sunt, cōse-
 citor. Sublata prorsus est senatus consulto cum Aquitano-
 rum, tum Gallorum fodalitas. Huic promulgationi ue-
 bementer ab omnibus reclamatum est, erat enim iniqua
 & noua. Sed res teneri à nobis non potuit, plusq; ualuit
 barbarorum imperium & autoritas, quam nostrum amie-
 citiae colendæ studium. Cum Pinachio quædam mihi de-
 teratio intercessit, publicè in illum causam dixi: qua
 oratione fractus, literis ut se minorem sensit, fraude flae-
 gitiose usus est, & me falsis quibusdam perstricti mea
 oratione senatus, urbisq; Tholosæ dignitatis à me immi-
 nutæ accusationibus, in carcerem rapiendum curauit, fe-
 ciendæq; mihi contumeliæ non solum interfuit, sed etiam
 præfuit. Laborauit dies aliquot communi meorum ini-
 dia, quæ facile tamen Pini nostri autoritate, & Minutij
 Præsidis ope compressa sit. Magnum ex inimicorum
 meorum conatibus atque perfidia fructum gloriamq;
 percepit, criminis nullius conuictus, & in senatu, ut in-
 nocens,

nocens, iudicio absolutus. Quam tibi dudum orationem promiseram, quaq; proxime in Finachium inuestitus sum, nihil est, quod expectes, neutram enim antea leges, quam typis excusam, cum nostris carminum epistolarumq; libris, nec tu me ideo parum seruatae fidei insimulabis. Pollicitis certe stetissem, nisi me nimia temporis iactura terruisset, quam in illis describendis mihi faciendam uidebam: at facile unum aut item alterum mensem in nostrorum expectatione eris, qui iam plus tribus fuisti. Budæi Literis respondi: epistolam meam ut illi reddas, et eum ad scribendum, quod commode faciat, incites, te uehementer rogo, idq; tantum rogo. Nam ut me tuarum rerum, et omnium, quæ Lutetiae gesta sunt, certiore diligenter accurateq; facias, moneri te debere, nedum rogari, amicitia nostra negat. Ioanni Pino recte est, et te à se plurimum saluere iubet. Vale. Ex urbe Tholosa, decimo Calend. Maias.

STEPH. DOLETVS, G VILIELMO
BVDAEO S.

CRebro mihi scribendi ad te argumentum obtulit, incredibilis meus erga te amor: auxit hanc nostram conciliandi te nobis cupiditatem, singularis humanitatis tue fama, et inauditæ doctrinæ, quæ omnem iam pene orbem peruagata est, opinio. Vnum illud sape me servare uolentem terruit, ne te literis inepte lacefserem, non tuam mihi amicitiam adiungere uiderer. At uero, si meum dignum, uel ex hoc ipso, quod tam uehementer tui fratris Iusti diosus, existimare quiuis possit, si hunc quoque scripsi adi

g 3 laborem



laborem non omnino asperneris, à te peto, ut ex me complectare, et mecum in te animum probes. Caput hoc meæ epistolæ est: cui id adiici facile patiere, omnia mea studia, omnem operam, cogitationem, mentem denique omnem, tue laudi dicatam. Ac mihi Budæe, quibus semper maxime uel à prima adolescentia delectari uisus sum, nunc me literæ humaniores hortantur, ut quoniam uehementius illis excoli cupio, et te in hac re ducem autoremq; intueor, literarum me duci libenter adiungam. Quod si me uel tuorum numero haberi sentiam, uel ad hæc non grauatim respondebis, constabit, ita mehercule uiuam, mihi, et studiorum meorum ratio, et ex ijs non solum quem hactenus et optui, et speraui, cepisse me fructum putabo, sed summam etiam laudem consecutum arbitrabor. Verum aliter atque decreueram facio, qui tibi pluribus obstrepam. Nimis ad te dum scribere constitui, simul id constitutum uolui, ut si à te gratiam alio forte nomine nullo, literarum certe breuitate iniirem, et tuarum me aurium, quæ nihil rude ferunt, occupatiōnumq;, quibus distineris, rationem habuisse perspiceres. Scribam plura alias, cum nostra grata tibi incundaq; accidere ostenderis. Atqui usū mihi fortasse ueniet, quod uerecundis proprium, sape quidem uidere est. Hi à primo aut prorsus muti, aut nisi longo interuale lo, idq; modice, loquentes, liberiorem postea sermonis facultatem nacti, quo quenque strepitū, qualoquacitate, insolenter non abundant? Facile fiet ita certe, ut quem nunc cohibet uerecundia, si uel paulo illustriori gratia abs te modo excipiar, uel uberioris literarum argumentum

tum

tum mihi ipse præbeas, non minus inani molestiæq;
quam frequenti sermone subinde te interpellam, et in
me silentium obstrependiq; modum requiras, non scri-
bendi officium desideres. At nihil nunc illiusmodi com-
mittam, tantum faciam, ut me et tuæ existimationis o-
mnium maxime cupidum cognoscas, et te ad me aman-
dum prouocem. Vale. Tholosæ, prid. Cal. Decemb.

STEPH. DOLETVS, GVLIELMO obiit Budæus 29 aug.
BVDAEO S. 1590.

Tam longum mearum ad te literarum interuallum
eò certe fuit, quòd cum nihil haberem, cuius te
præcipue certiorem à me fieri oportere arbitrarer, et
cum te esse scirem, qui inani superuacaneoq; sermone
minime omnium oblecteris, scribendi labore supersedi,
nec te parum necessaria legendi tædio affectum uolui.
Attamen ut, quarum desiderio æstuare me antea signi-
ficaram, tuas mihi literas iucundissimas gratissimasq;
fuisse ostendam, scribendum id ad te hoc tempore du-
xi. Itaque unum sic habere te uelim, quæ mihi magnam
omnino lœtitiam adferant, multas sæpe me ex multis
accipere epistolas, sed quæ plus tua suavis aut optata
acciderit, redditam mihi hactenus quidem nullam. Hoc
mecum perfacile confirmarint, qui quanto scriptorum
tuorum studio teneat, non ignorant: quiq; id perspe-
xere, Budæi ingenium atque doctrinam à me summe
semper et amatam, et laudatam. Fuere igitur mihi gratae
tuæ literæ, qua ad me scribere non grauatus es, qua uero

g 4 mihi

mihi te in amore respondere significasti, gaudio meher-
 cule triumphavi, id demum assecutus, quod iampridem
 mihi in uotis erat. Amplexor tam propensum tuum er-
 ga me animum, ac uellem ita fortuna ferret, ut quanti-
 te facio, tanti te à me fieri existimares: meq; eadem
 benevolentia comprehendenderes, qua te obseruantia colo;
 quod tamen ipsum prorsus non despero, eximiae mee ac
 prope singularis in te uoluntatis conscientia motus, et
 tuo in eloquentiae studiosos amore incredibili fretu.
 Sed hoc nihil ad te, cui id potius opus est, ut ex amico-
 rum cohorte unus aliquis eximatur, quam nouo aditus
 pateat. Nostrum est hoc planè onus, qui nisi tua aut tui
 similium amicitia coniunctione q; illustremur, spem nul-
 lam nominis gloriæ ue concipimus. Quare & si id tan-
 tum ex amore nostro percipies, ut nescio quem Dole-
 tum in tuis habuisse dicaris, & ego id contra conse-
 quar, ut me Budæo illi: magno, Budæo inquam illi Gal-
 liè lumini coniunctum fuisse posteritas prædicet: tamen
 tui sensus nisi sim plane expers atque ignarus, amicitie
 tuæ nomine leuem aliquam gloriæ hæreditatem cernere
 me libentissimus sines, neque hanc ad me laudem trans-
 ferri dolebis, ut doctorum gregalibus admixtus aliquan-
 do uidear. Nunc ad extremam epistolæ tuæ partem ues-
 nio. Ac quoniam ex literis nostris doctrinam meam suspi-
 cari & iudicare potuisse te scribis, institutum uitæ &
 conditionem non item, facio ut & uitæ & conditionis
 meæ rationem tibi pluribus explicem. In quo si quid à me
 lasciuie nimis, exultans tamē meū scribēdi genus æqui boni
 facies, ut quæ scire te uelle, præ te fers, à me uerboſiſime
 certiſſi

certissimeq; audias. Principio Genabi, nobili & multis laudibus illustri Galliae nostrae oppido natus sum: quam honesto, quam splendidio inter meos loco, uocibus huiusmodi superbiant, quibus uirtus genere est posterior. Genabi duodecim annos liberaliter educatum excepit Parisiorum Lutetia, ubi primarum literarum rudimenta posui, tum artibus omnibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, operam diligenter dedi, politioribusq; disciplinis memetipsum quinquennio excolui, Ciceronis lectioni interim semper deditus. Mox maiori eloquentiae cupiditate ardens, in Italiā excurri, illic magno mibi cum Symone Villanouano usu consuetudineq; familiarī constituta, triennium Patauij traduxi, quo tam charo amico & studiorum meorum adiutore mortis iniuria priuatus, in Galliam mature cogito. Sed me in Italia diutius retinent, Ioannis Langiaci, qui id temporis legati munus apud Venetos obibat, cum preces, tum autoritas, ut nostra opera in literis aut ad summum Pontificem, aut ad alium quemuis scribendis, uteretur. Huic dum mos à me geritur, annum alterum triennio additum sentio, nec redire mibi uolenti licet, legatione functum præstolari cogimur, cuius in comitatu tandem in Galliam rcrum minus rudes & eloquentiae amantiores cupidoresq; redimus. Nam tibi prope partem uitæ meæ constare opinor, reliquam brevibus accipe. Galliae restitutus eundem, quem ab ineunte aetate cœperam cursum, recta constanter teneo, ingrauescit meum in dies studium, literis me inuoluo, & quia ex omni scriptorum Latinorum genere unum mibi Ciceronem in primis imitandum proposui, Cīc̄eronianæ

dictionis commentarios mihi ipse conscribo , adiuncta ad
 hanc rem puriore , Sallustij , Cæsar is , Terentij , & Titi
 Liuij locutione . Luculentum hoc uolumen cum alijs no-
 stris lucubrationibus exibit suo tempore . Secundum per-
 strinximus nostræ uelut fabulæ actum . Ad ultimum pro-
 gredior . Autoribus nubi magnopere amicis plerisq ; qui
 suis fidelissimis amantiissimisq ; consilijs nunquam me non
 iuuant , & honoribus cumulari , atque ad gloriam sum-
 man adspicere cupiunt , Ius ciuile mihi discendum statui ,
 id quoq ; ratus à studiorum meorum rationibus non ita
 admodum abhorrire . Profecto enim artem nostram ora-
 toriam legitimis disciplinis uel multum ornari , uel pluri-
 mum adiuuari constat . In eas ut liberius incumberem , eo-
 rumq ; sententiam sequerer , qui nullam artem sine inter-
 prete & sine aliqua exercitatione percipi posse ferunt ,
 Iusq ; ciuile doctorem & lumen desiderare affirmant .
Tholosam accessi , urbem maiori celebritate & fama ,
quam iuris ciuilis peritia probatiore : ad hæc plus Getis
Scytisq ; barbaram . Verum illud esto : nulla me urbis tam
barbaræ asperitas ab instituto reuocat . Iuri ciuili iam non
multo minus duos annos continuos impendimus , & ita
impendimus , ut aliquot horas uel matutinas , uel uestrie-
nas Ciceronis lectioni tribuamus . Reliquas diei partem all
priuata , aut publica studij mei primary exercitatione con-
sumo . Sic , legum doctrina utor , quantum amici uolunt , &
rogant , quantumq ; me uti non pœnitet . Nempe ut ad ho-
norum petitionem mihi præsidio sint atque suffragentur ,
& facultatem dicendi meam ueri æquiq ; cognitione affi-
geant . Neque uero Tholosæ nostrum iuris studium ad
extremum

extremum persequi mihi quidem certum est. Patauium aut Ticinum proficisci in animo habeo, Alciatum, & Italos legum interpretes sua sesquipedalia uerba solenni fastu crepantes, aut in Accursij Bartholiq; caput (ne parum multa scire uideantur) furiose inuolantes spectaturus. In cuiuspiam familiaritatem apud illos me insinuabo, qui me cum hæc docte familiariterq; rideat. Lutetia iter me factum spero, tecumq; istic coram congressurum. Tu si quid ad me obuiam ante scribes, quod me de ualetudine tua certiore faciat, & de rebus omnibus, quæ Lutetiae gerantur, eruditat, nostrite memoriam seruare putabo, ac ista molestia liberabere, ne ad te adeunti singula nubi narrare necesse habeas. Vale. Tholosæ x. Cal. Ma.

STEPHANVS DOLETVS, THOMAE
CASSANDRO S.

DE meo erga fratrem tuum studio & uoluntate, cum illo saepe te locutum puto: quo in me sit amore extremitate scire cupio. Fuit enim, cum unum essemus, noster is sermo atque consilium, ut tu mihi illius benevolentiam colligeres. Hoc si feceris, uerbis nihil opus est ad te excitandum, aut rogandum. Sed si obliuione nostri in eam rem antea minus forte incubueris, meas literas in id scriptas arbitrabere, ut de me cogites. Iam pro tua singulari prudenter & ingenio facile coniijcis, uel superiore nostro colloquio tibi à me explicatum recordaris potius, quod nunc abs te postulo, id ipsum est, ut à nobis omnia fratri tuo deferas, ac quoniam in humanioribus literis ætatem ita consumpsi, ut in ijs nauasse aliquid uidear, ea disciplina si capiatur, perpoliriq; uelit, illum meis uerbis moneas ad se

ad se me accersi iubeat, nostra opera ad omnia suo iure usurus. H abes quod familiariter, sicut nostra iam amicitia poscit, et patitur, tibi onus impono, fac modo, ut quam tu mihi charus es, te mihi rebusque meis tam studere sentiam. Ad fratrem eodem mihi scribendum duxi, ut tibi maior esset cum illo de me loquendi agendique occasio. Epistolam nostram illi reddendam curabis, simul odorabere, atque elicies, quo nos loco habeat, ut complectatur, ut diligat, tum dabis diligenter operam, ut me rerum omnium certiore quam celerrime facias. Vale. Tholosae quarto Cal. Febr.

STEPHANVS DOLETVS, IOANNI
MOMONTIO S.

Vide mihi Ioannes quod tuo me rogatu, quod precibus tuis per pulisti, ut quem in oculis fero, quem, ita me dixi ament, plus ceteris amo, notas tibi aspergere cogar. Id quod ita demum interpretari te uelim, ut tibi me obsecutum, non te laedendi causam quæfuisse putas. Facile id tu conieceris, si et meum in te amorem noscas, et animum erga te meum non ignores, quem neque te ignorare uolo, et omni officio cognitum tibi atque perfectum capio. Porro amice feres, quæ ab amico proficiuntur, amice scripta, non amici offendendi animo. Tu hanc ex interro describe, et ad me uel alia epistola auctiorem mitte. Vale. Tholosæ.

STEPHANVS DOLETVS, EVSTACHIO
PRAEVOTIO S.

TE de tuis literis sic amo, ut debeo, tuum officium benevolentiamque erga me facio omnino plurimi, quanti

quanti & amici munus, & amoris tam eximij significatio fieri ab amico debet. Istud etiam præterire, neque si uelim possum, neque si possum uelim, ad nostra in te studia eam accessionem factam, ut te antea dilexerim, nunc planè amare statuam. Nec me quicquam tam probare scito, laudare nihil etiam magis, quam tuos huiusmodi conatus, & tuam discendi cupiditatem. Macte uirtute: fuit quidem mihi optatissimum semper, neque nunc idipsum minus, omni te eruditionis laude, eloquentiæ, omni deniq; uirtutis gloria dignitateq; augeri: sed currentem non urgebo, monebo tantum, animo ne desis, & quem tu ultro pridem, nunc rogatus Doletum tuum ames. Vale. Tholosæ quarto Cal. Ian.

STEPHANVS DOLETVS, VIDO
BRELLAEO S.

Expectabam tuas ad me literas, cum ecce mihi in men tem uenit & tuorum maximorū negotiorū, quibus implicitum te respirare uix liceat, tantum abest ut scribere, & meæ ridendæ temeritatis, qui tuum in eo genere officium desiderem, diligentiamq; uelim, & tuum erga nos amorem accusari. Quasi uero uel in hoc tibi sim coniunctus, ac eum protinus locum apud te teneam, omnibus ut graioribus tuis negotijs, curisq; omnibus posthabitis, scribendo me expleas, uel ea præscribatur lex conditionis amicitiae, aut is sit amoris finis, ut amicum abs re, nulloq; penè argumento literis subinde obruas: præsertim cum ad quem scripseris, nullum ab eo fructum, neque laboris, neque amicitiae speras, nisi id forte uis, ut certe uis, omneis omnium amicitias uel tenuissimorum abiectissimorumq;

simorumq; quorumq; tibi quis studio & officio que-
fitas. In quo quando humanitatis tuae specimen non ob-
scure praebes, & singularis cuiusdam uirtutis exempla
aperte statuis, opera quidem à nobis diligenter danda est,
ut ne, quod mihi penè accidit, dum nunc tacitus tuum scri-
bendi officium requirebam, tua in nos benevolentia ambi-
tiose abutamur, ingrati alioqui non iniuria habendi, &
tantæ tuæ comitatis immemores: cuius ego uitij, cum cu-
ra omni diligentiaq; prouidebo, famam ne consequar:
tum uero efficiam, gratum ut tibi hominem deuinxisse,
non modo tu sentias, sed ut omnes gentes (absit uerbo in-
uidia) etiam ut posteritas omnis intelligat: si modo is cer-
te sum, quem esse me ut non temere confirmem, sic planè
futurum non desperem, qui posteris nomen commendare
meum, aut memoriæ perpetuae consecrare, studiorum
meorum laude aliqua possum. Ego hic tibi quantum po-
tius risum stomachumq; moueam, quam mei expectatio-
nem concitem, nisi qui iudicio omnino careat, aut exili-
mationi nostræ nimium sit amicus, dubitabit sane nemo.
Adeo & artium omnium rudis, & ab omni eloquentie
facultate inops, rem laboris plenam, atque ab ingenij no-
stri tenuitate modo nullo praestandam, insolenter pollis-
ceor: quid quisq; tamen cura, industria, assiduo denique
labore possit assequi, exploratum omnium optime habes,
qui si nihil aliud studeat, nisi id quod agit, nauet aliquid
necessse est, & efficiat. Caeu autem putas, id me gloria
adductum, aut meæ alicuius artis opinione dixisse, sed in
ea re tantum excellendi animo: quo quidem tentabo
omnia, assequar, quæ tandem potero. Quòd si tu qui &
me meo

me meo, & alios, omnium iudicio, eloquentia longe ipse
vincis, operam nostram non aspernabere, causa nulla est,
cur te obsecrare obtestariq; uerear, ut quod Villanouano
tuo, imo nostro communi amico, autore uelle coepi, adiu-
tore te, mei mihi studij ratio fructusq; aliquando constet,
& ad quem amici fidelissimo atque amantissimo consilio
sum aggressus, amici quoq; præsidio cursum conficiam.
Nam quam mihi spem tua sententia ostenderis, eam unam
constanter sequar, aliam præterea nullam. Sed hæc iam sa-
tis multa. Tu, tametsi nihil abs te illiusmodi iure expectan-
dum ducebam, quas tamen mihi scribere uelle uisus es, li-
teras ad nos dabis. Eas cum per se libenter legam, tum
etiam libentius, tuo si cōmodo missas intelligam, & in ijs
tuum te otium oblectasse, non tuis quicquam detraxisse
negotij. Vale. Tholose, Cal. sextil.

STEPHANVS DOLETVS, VIDO

BRELLAE O S.

Quid multa? Silentij tui causam mihi ita demum pro-
babis, si semper filebis: nimirum si foro seruies, &
Reipub. totum te dicabis. Reliquum sit, ut qui mihi, si
quando filebo, non grauem te præbiturum spondes, eum
nunc præbeas, iam enim fileo. Vale.

STEPHANVS DOLETVS, VIDO

BRELLAE O S.

Alibertum pium Carporum principem, puto, aliquan-
do nosti: cuius obitu cum grauissimum damnum fe-
cit, uulnusq; accepit maximum res literaria, tum quem do-
cis ex animo excidere, neque ulla obliuione par sit, &
ab omni humanitate uideatur alienum. Illum epitaphio
lugemus

lugemus, quod tamen à te nisi probetur, ut nostrorum es
scriptorum censor, nihil est, quare non statim consci-
dam. Hoc de tua unius sententia uel certe exibit, uel ita
comprimam, ut nunquam emanet: Sed aliter, atque pro-
ximis nostris ad te literis eram pollicitus, facio, qui te etiā
nunc scribendo laceſſam. Quare à me ne literam quidem
postea, & tuis negotijs incumbas, per me, quantum uo-
les, licebit. Vale. Tholosæ.

STEPHANVS DOLETVS, VIDO
BRELLAEO S.

Doleatum tuum scito eloquentiæ remisſe nuntium,
ſuauioribusq; literis ſalutem dixiſſe: quo luctu, qui-
bus lachrymis, qua doloris acerbitate, tu pro eo, quantum
illam à me cultam ſemper uolui, longe quidem facilime
optimeq; omnium iudicare poſſis. Eodem nos demum
mœrore ab illa distractos puta, qua amantes moleſtia do-
loreq; diſiungi cernas. Atque id abs te peto, uel ſi patea-
ris, oro, cogitatione animoq; conijce, quām ægre eam
reliqui, cui me ab incunabulis ipſis dedideram, tum inde
magis magisq; incubueram, adultus ſic etiam nunc here-
bam, nihil ut eſſet mihi iucundius, nec ab illius latere me
putarem uel lato quidem ungue diſceſſurum. Ipsiſ illa in-
choatus, ipſa inquam illa iam in formatus leuiter, nunc di-
cendi ſtudium cogor abijcere, primoribus tantum labris,
artis oratoriæ ſuauitate deguſtata, nihil dum expleto ſto-
macho. Attamen ne mirere, aut rei forte huiusce cauſam
requiras, potentium ſplendor, qui nulli fortunas uel uber-
rimas non uidetur allaturus, qui doctos rerum inopia
preſſos ſpe & promiſſis tenet, is me nec opinantem ſe-
ſelli

fellit. Nam dum uolunt hominum quedam pestes (quod
 inter nos dictum liceat) sua quosvis insolentia, dementia,
 audacia, insania, uelut seruos perpetuo imperio agitari,
 doctos non aspere tractandos quidem illos, sed omni reti-
 nendos lenitate, à se prorsus repellunt, & maximum o-
 mnibus documentum aninu importuni præbent. In eos
 cum incidisse, quanta tuli seruitutis incommoda: quas
 non (si dijs placet) molestias, quæ conuitia non periuie
 hodie ut mihi primum manumissus uidear, antea pistrino
 alligatus. Itaque quoniam ea iam plerosque omnes per-
 uasit opinio, ut legum studijs dignitatem quæri, opesq;
 comparari iudicent, & si ab eo semper ipse abfui, quo
 nemo non ardet, honorum studio, & diuitiarum cupidie-
 tate carui, tamen id sequi certum est, quod & gloriam
 fructumq; non uulgarem adferat, & institutis studiorum
 nostrorum rationibus sit planè coniunctum. Nunc, m^e
 Brellae, per animum illum tuum, quo me es hacenus
 peramanter complexus, confer te ad eam curam, ut de
 me cogites, & amici absentis memoriam diligenter re-
 tine. Autoritate tua nobis opus est, & consilio, &
 etiam gratia. Quod eo scriptum tibi persuadeas, uelim,
 ut quos hic habes amicitia tibi familiaritateq; coniunctos
 plurimos, ijs me de meliore nota commendes. Non minus
 mehercule posse te, quam uelle arbitror, ac tantum uelle
 te spero, quantum & tuus erga me amor, & singularis
 benevolentia humanitasq; postulat. Amabo te, noli pati
 eum premi aut amicorum, aut rei cuiusquam inopia, cui
 animus, ut cui minime, facultas, ut cui maxime, deest. Sed
 iam uerecundia impedior, ne plura scribam. Tu literis tuis

h spem

spem nobis aliquam ostendito, aut omnem tollito quācē
terrime expectationem. Vale. Tholosæ, ad Calend.
Sext.

STEPHANVS DOLETVS, VIDO
BRELLAEO S.

Pvtet'ne, cui nota sit nostra, non instituta hoc tem-
pore, neque uulgari suscepta causa amicitia, te adeo
lautum, ad amicum ut literas, tanto præsertim expecta-
tas desiderio, non səpius mittas? At alijs occupatus curis,
officio seruire non potes, impediunt te grāuiora nego-
tia, & quas unice amplecti antea solebas, minimum, ut
nunc est tempus, literis tribuis, fori turbis auscultandum
est. Id quod sic accipio, ut idem sim tamen moleste latu-
rus, aliquod nisi scribendi argumentum ducas, dum
isthæc excuses, omnemq; aut occupationum magnitudi-
ni, aut tabellariorum inopie, silentij culparum causamq;
tribuas. Hoc tu si facias, quod te facturum confido, be-
nevolentior mihi, quam semper fuisti, nihil eris factus,
diligentior ad scribendum multò. Nam ut proprius mibi
atque perpetuus, rusticus forte etiam pudor, hactenus
uetuit, tibi ne literarum crebritate ostreperem, sic sin-
gulare nostrum erga te studium nouam curam mibi af-
fert canendi, ut ne diuturnum meum, aut tuum longius,
quam par est, silentium, mutuam nostram coniunctio-
nem extinguat. Quamobrem ne'ue tui animi semper sim
nescius, ne'ue tu perpetuo fileas, aliud si nihil, quod scri-
bas, habes, id certe scribito. Mibi quoquomodo cumulate
satisficeris, & animo tibi effluxisse me, existimare alii
quando desinam. Nostræ uero breuitati, est planè, quod
ipse

ipſe ignoſcas. ſempierno ſiquidem ſilentio te magiſtro
uti poſſim, nec literam, ſi uelim, mittere. Tu quoque,
quod tibi tantopere gratum eſſe uideo, et tuis forte
rebus omne tribui neceſſe eſt, otio perpetuo haere.

Vale. Tholofæ.

STEPH. DOLETVS, ARNOLDO
FABRICIO S.

BReue eſt, quod tibi me reſpondere, et mea exiſti-
mationis ratio poſtulat, et tuorum conuictiorum
acerbitas cogit. Quod tibi, ut ſui nimum amantibus, ne
uero ueniret uehementer timebam, et à quo ipſo ut abſti-
neres, amice te diligenterq; admonebam, animosius reti-
nes, tuam infantiam tueris, ea superbis, diſplicet, cui pla-
cere non poſteſt, latini sermonis rudi, latini sermonis puri-
tas. Verum ut te tui ſemper ſimilem ridere magis, quam
inſectari libeat, moderate ferre tamen nequeam, qua tibi
me mirum in modum rem gratam fakturum ſperabam, er-
ratorum tuorum animaduertione inimicum te mihi uehe-
mentius factum. Falleris, mi Fabrici, neque obtreſtationis
uifpicio careſ, qui mea mihi plus ſatis probari ſcribas.
Doctorū, quibus me iunxit ſtudiorū ſimilitudo, ſententiā
elicito, ijs, quae mihi labor diligētiāq; attulit, probari forte
ſenties, et mihi mea iacere cognoſces. Sed incepto
homini libēter ignoſco, qui, quicquid in men-
tem uenit, quicquid in buccam cadit,
nullo pudore effrat, et ſuo
maleuolentia iejuno ani-
mo morem info-
lenter gerat. Vale. Tholofæ.

STEPH. DOLETVS, PETRO CA=
STELLANO S.

ACcedet id ad illa, quæ tibi à me semper imposita uo=
lui, onera, hodie ut nos, si per otium licet, uisas, aut
Plutarchum nubi, quod tuo non incommodo fiat, ad dies
aliquot muttas. Vale.

STEPH. DOLETVS, PETRO CA=
STELLANO S.

ET tuum in me officium memoria etiam nunc teneo,
Ex occasione mihi oblatam lætor, animum erga te
testificandi meum. Budæi dialogos ad te mittendos cura=
ui, quibus, quantum uoles, utere, ac omnem meam tibi
delatam operam studiumq; putabis. Id quoque ipsum ad=
moneri te aequo animo feres ne me à te alienorem, aut
ulla temporis immutatione, aut rerum perturbatione, tibi
posthac inducas. Ego dum tempori assentior, constitutam
mibi cum doctis amicitiam nulla priuati odij suspicione la=
befactatam uolo. Vale. Tholosæ.

STEPH. DOLETVS, PETRO CA=
STELLANO S.

QVa tu solitudine sis, ut susceptæ mihi cum Pinde=chion inimicitiae leniantur, equidem ex literis tuis
perspexi, ex illud uehementer risi, uitæ discriminis nescio
qua denunciatione, ab oratione in illum mea, à te me tam
anxie reuocari. Ne te cura inani confice: ab hac senten=
tia deducet me certe nemo, orationiq; tragœdiam addam,
publicis illam ludis acturis. Nihil me terret obtrectatoris
loquacitas. Frangam nullo negotio imbecillum, qui ualen=
tiores subegi. Aquitanos tuos ne conuitijs lacerem, ueren=
define.

define. Non is sum, Castellane, qui mei, ut scribis, tam amantes ulla iniuria à me alienari uelim, atq; ut conuictiori meo conuictiari tantum uidear, diligentiam adhibeo. Plura postea scribam otij plus paulo nactus, ac, quæ defensioni nostræ dies constituta sit, certiorem te ad tempus faciam. Vale. Tholosæ, Idib. Decemb.

STEPH. DOLETVS, SYMONI
FINE TIO S.

AMARI me abs te tantum, quantum tuis tu literis nuper, cum suauissime, tum copiosissime significasti, equidem perspectum pridem multisq; tuis in me officijs exploratum habui, nec sanè commissum uolui, ut in ea re tibi aut concedere, aut quicquam debere uiderer. Mutuo te amore aut proxime, aut æque potius, atq; tu me, chare sum semper complexus. Itaq; iam prope, ut arbitror, uidetis non minori me molestia doloreq; ob discessum tuum adficiendum, quam te iniquiore animo nostræ consuetudinis fructu caritatum scribis. Neque enim nescis, quam amanter & familiariter multas sape tecum horas traducebam, id quoq; te recordari, & memoriae mandare uelim, unum tecum diem libentius iucundiusq; à me ponis solitum, quam reliquum omne uitæ meæ tempus cum perisque eorum mihi ponendum erit, quibuscum posthac uel uiuam necessario, uel quedam me copulabit familiaritas. Simul illud occurrat, quam tu mihi ad omnia operam, curam, officium studiose nauares tuum, quam te fideli & consiliorum meorum moderatore, & adiutore uterer, quam tu mihi suauiter contractum dolorem tua consolacione aut leuares, aut absterges, quam amice molestias

b 3 mibi

m̄hi deleres, quām lāte tranquilla mecum, quām moderāte etiam & constanter turbulentia atq; aduersa ferres. Planè nullum unquam fuisse tempus, neq; honorum, neq; difficultatū mearum esse scio, in quo studiū in me tuum non extiterit singulare. Quæ omnia idcirco pluribus persequor, ut intelligas non solum me grauiter affici, quōd te celeriter priuandus sim, quanquām ea potissimum causa doleo, sed quōd non facile reperiam, cui me eadem & morum similitudo, & studiorum societas conciliet, que nos antea quidem iunxit. At uero in tanta amoris necessitudinisq; magnitudine longe à me profisci cogitas. In quo & si ullam aliquam molestiæ nostræ alleuationem afferre possit, quem m̄hi proponis, proximus meus in Galliam reditus, ubi uelut tempore aliquo disiuncti, in gratiam redibimus, & nostra necessitudine ex integro fruemur, negare id tamen nequeas, grauissimum nos amoris nostri damnum, uel breui interuallo facturos, quod omni iacturæ incommodeq; anteponendum duco. Verum quia diutius unā nos agere, neque fortuna nostra sinit, neq; tua rationes ferunt, fortunæ assentire cogimur, & tuis rebus maxime consultum uelim, hic una spe fretus amicitiam nostram nulla neque locorum intercapedine, neq; temporis longinquitate, neq; diurna nostra absentia labefactatum iri. Tholosæ quid me tandiu teneat, quo te coniectura ducat, habere te arbitror. Non nostra hic moræ illicium est, urbis huius barbaries, asperitas, calunia, sempiternumq; in doctos odium. Memoria, puto, tenes, qua hic pressus sim inuidia, quām crudeliter acceptus, quām inique in carcerem coniectus: quæ m̄hi ab urbe ac-

cidisse

cidisse non demiror, ut æqui boni quod ignara, ita mehercule ad omnem iniuriam prompta. In ijs meis tam acerbis casib⁹ culpam à me solam præstandam censui: qua quoniā carui, & carere me sua senatus sententia testatus est, fortí me animo, magno quod; semper fuisse scito, nec minus alto futurum sperato. Tantum faciam, ut qui nulla iniuria lacesit periculum mihi faceſſere contendetur, iamboſ nostros ſentiant, ac ea ſaltem fama illuſtrentur, ut iniqui, quam æqui & eſſe, & haberi maluiffe, à posteritate dicantur. Aufugiā tamen & me mature in Galliam recipiam, nullo illic metu periculō ue in iſtiuſmodi hominum pestes, quæ libebit, ſcripturus, atque in illis uitam acturus locis, ubi aliquo numero ſim, non, ut hic, ſolus ſapere uidear. Officiū tuum iſtud, quod mihi tam propeneſe defers, gratum ſane= quam mihi eſt, & ueterem tuum erga me animum bene= uolentiam quod agnſco, ſicque uoluntatē tuam interpretor, ut te amore acrius incendi ſuſpicer, non noua animi indu= ctione ad me amandum incitari putem, quem mei amantif= ſimum cupidifimum quod; in omni re cognoui. De me autem

sic habebis, quos plurimos generatim uulgariter quod:

diligo, non ea omneis amicitia à me comprehen-

di, qua te unice proſequor. Quare du-

bitare minime omnium debes, quin

amoris noſtri memoria studio=

ſiſſime ſeruem, & tu mihi

in medullis perpe=

tuo hæredas.

Vale.

Tholofæ, Idib. Maijs.

STEPHANI
DOLETI EPISTOLA
RVM LIBER
SECUNDVS.

STEPHANVS DOLETVS, IOANNI
A BOYSSONE S.



R G O non crininis, sed virtutis reus,
non quod turpis aut nocens essem, non
quod improbe aut scelerate, sed quod
laudatissime uitam egissem, non odio bo-
norum, sed inuidia oppressus inuidoru-,
non propter magnitudinem scelerum, non propter ali-
quam ætatis infamiam, sed propter præstabilem uirtutis
famam, propter ingenij laudem, urbis uestræ et minis et
furori cessi. Verum nisi me bona spes posteritatis fallit,
qui mihi periculum crearunt, inuitos uerissimis maledi-
ctorum notis tradam hominum sempiternæ memorie,
perficiamque immortalibus scriptorum meorum monumen-
tis, ut Tholosam tetram, crudelem, nefariam, barbaram,
literis infensam, à musis auersam, honorum laudi duram,
atque iniuciam, uirtuti iniquam, inuidam, sceleratam,
profugatam, uitiorum gurgitem, nequitiae officinam, fla-
gitijsque omnibus refertam atque abundantem, mei testimoni-
nij fide secula omnia sibi in posterum inducant, et sem-
per prædicent. Facile mihi ignoscet, hic si stomacho plus
satis forte indulgeo, nimirum iniuria lacefatus. Ego, ut

cum

cum maxime, & ualeo, & literis operam do: utrancq;
mean orationem augeo, & perpolio, ut quam celerrime
lucubrations meas in apertum proferam. Locum quo te à
me illustratum purgatumq; uolui, cum his accipies, &
tui memoriam retinere me cognosces. Incredibili literar
rum tuarum cupiditate teneor. Quare rerum tuarum,
& urbanarum, si me certiorem facies, ad innumerabilia
& immortalia tua erga nos merita cumulus magnus acce
det, omniaq; ex te habebo. Quod si perpetuo fileas aut
diutius cesses, te in hac etiam calorum magnitudine &
uehementia, ocio congelasse existimabo. Vale. Ruri,
sex. Idus Iunij.

S T E P H A N V S D O L E T V S , I O A N N I
A BOYSSONE S.

V Aletudinis acerbitas, quæ me hactenus torfit, literis
tuis ne antea responderim, sola mehercule prohibi
buit, ex qua etsi paulisper emersti, morbumq; parte ex ali
qua depuli, nihil dum me tamen refeci, neque uires, cor
pusq; omnino recuperavi, nubi quod ægrotatio absum
psit. Sed me curo diligenter, speq; sum optima, deum nubi
aliquem medicinam facturum, si forte tardius naturæ ope
reliquias morbi abijcam. Me siquidem febris tertio quoq;
die, sex, munimum, horis sæuisimc excruciat, non perpe
tuo, ut coeparat, urit. Silētij tui excusationem accipio, neq;
enim nubi facile persuadeam, quem mei causa omnia &
uelle, & cupere certò scio, literarum officio nubi gratifie
cari nolle. Quod ad me literas uberrimas dedisti, fecisti
nubi gratum, uix enim credas, quantæ nubi uoluptati sint
in hoc meo secessu amicorum literæ, eorum præsertim, qui

h 5 cum

cum amoris significatiōne non uulgarem sermonis puritatem elegantiamq; habent: qua unus omnium maxime quidem flores, spēm q; mihi certam iniūcīs, inter eloquentes aliquo te futūrum numero, nī ad eam laudis expectationem iter tibi intercludant, Bartoli Accursijq; nuge. Etiam illud uehementer metuo, ne urbem eloquentiā inimicam incolens, eloquentiā minus iam studeas, & literas humaniores lentius fastidiosiusq; complectare. Gratiarum actio aduersum me, nomen quōd tuum scriptis meis illustraui, nihil planè opus erat, prēstīti, quod amici fuit: idem posthac, cum & decere, & oportere existimabo, libentissime facturus, mirabiliter enim laudum tuarum immortalitati satisfacere cupio. Veritus es quoq; frustra, ut non digna sit facultate & copia nostra materies. Dignus est vel Ciceronis conatu locus. Ni mirum id si oratori optandum atque expetendum est, ut bonorum innocentiumq; causam atq; defensionem suscipiat, non mea solū dicendi facultate dignam materiem, sed proprium eloquentissimo facundiōmoq; oratori alicui argumentum nactus haud dubie uidear, tuæ dignitati existimationiq; dum suffrager, & tua te uirtute, non uitio ullo afflictum apertissime uerisimeq; probem. Epistolæ tuæ parte, qua nullum esse nostra ætate scribis, qui me in dicendo supereret, paucos item admodum, qui æquare possint, equidem sic afficiar, ut singularē tuum nominis nostri studium agnoscam, amicūq; magis quam uerum tuum illud iudicium putem: atque adeo ad eam gloriam, quam mihi animi gratia tribuis, abs te incendi, nondum adspirasse me arbitrer. Veruntamen quantum uiribus eniti, studio progredi, diligentia, labore,

industriaq; assequi potero, enitar, contendam, efficiam,
ut qua iam inde à pueris unice oblectatus sum, in eloquen-
tiae studio oleum & operam prorsus ne perdidisse uideri
certe possum. Quo meo fato, quo'ue suo consilio deus,
tot me tamq; indignis iniurijs Tholosae uexari, tot incom-
modis difficultatibusq; affici uoluit, suo ille arbitratu uic-
derit, ego omnia mibi in laude pono, quæ mibi sine culpa
crimineq; accidunt. Magnum esse nostri apud bonos de-
siderium, iucundamq; mei memoriam relictam, misifice
gaudeo, id enim improbis solum odio nos fuisse, argumen-
to est. Drusacum in dies asperius me senatus decretis in-
sectari audio. Immanem & tetram belluam, cuius effre-
natum furorem, ne inimici quidem fuga sedet. Vnum est
ad extremum, quod tibi à me confirmatum uelim, non
minori me dolore à te digredi, quam grauiore te molestia
discessum meum ferre: sed quia diutius una à esse nō posse-
mus, meque alio rationes meæ uocant, absentiam nostram
literarum crebritate sarciemus. Omphalium de nomine
tantum noui. Tu quid hominis sit, aut qua eruditiois ma-
gnitudine, exploratum si habes, fac, rogo te, ut quampris
mum sciam, literasq; à te de rebus omnibus accipiam,
quarum ardeo desiderio. Vale. Datum Ruri, decimo Cal.
quintiles. Obsignata iam mea ad te epistola, multorum &
nuntijs, & literis ad me perlatum est, Drusaci postulatu,
mibi urbe Tholosa interdictum. Hominis tam profligati
infectione nihil commoueor, nec me minus in his meis
misericordiis & luctuosis temporibus colligo, doloriq; fortiter
ac fortunæ resisto, quam tranquillis & optatis, ad uolum-
tatemq; meam fluentibus rebus, constans uideri studeo.

Non

Non hinc meæ duplicatur solicitudines, quas firmitudine
grauitateq; mentis, & iucunda conscientiæ meæ recorda-
tione subleuo. Totum me ad literas transfero, in ijsq;
tempus omne consumo, quæ animum meum à molestijs
angoribusq; abducunt, nec exiguum doloris ægritudinisq;
obliuionem adferunt, & me tandem commonefaciunt, ho-
munem me esse, omnibus fortunæ telis propositum, sed ta-
men turpitudine tantum & delicto affici debere, non ca-
su, aut improborum iniuria. Itaque non ex fortuna, sed ex
virtute pendi uolo. Tu quid ea de re aut audieris, aut ui-
deris, ad me si perscribes, molestiam meam uniuersam ex-
hauries, & amici cupiditati obsequere. Iterum Vale.

STEPHANVS DOLETVS, IOANNI
A BOYSSONE S.

Illud solum ad te scribendi argumentum habeo, ut abs
te plus satis cessante literas uel importuna effligita-
tione extorqueam. Ego breui tempore Lugdunum cogito.
Quare antequā me in viam dem, nos de rebus tuis doce,
& si quid ad Gryphium uis, recte mihi committere ne di-
bita, tuas enim literas diligenter perferam, & tua, si qui-
bus me oneres, mandata studiose exhaustiam. Valetudine
ita sum leuatus, ut Deus ille mihi, à quo medicinam spera-
re me ad te anteascripferam, eam ipsam fecisse uideatur.
Vale. Datum Ruri, quarto Cal. Sextiles.

STEPHANVS DOLETVS, IOANNI
A BOYSSONE S.

Cvpiebam certe celerius atque sæpius, sed per tabel-
lariorum inopiam non licuit, literas ad te ante
quidem muttere. Nunc, tametsi graui diuturnoq; morbo
penè

penè contabescam, et pristina mea scribendi glacritate
priuatus sim, tamen ne quid rerum mearum ignores, et
me etiam non omnino ualetudine fractum, aut usque eò
debilitatum putas, ut amicitiae nostræ memoriam abiece= =
rim, literas ad te, cui recte darem, nactus, inanem à me di= =
mittere non potui, nec tibi profectionis meæ rationem
explicare alienum uisum est. Me cum nondum planè con= =
firmatum et ualentem, uiae temere inconsultoq; commu= =
sissem, neque à ualetudinis perturbatione, neque ab iniu= =
ria temporis absfui. Sæuissima me febris, quam à me disces= =
sisse existimabam, de integro arripuit, et uia puluerulen= =
ta æstatisq; calore grauissimo atque uebementissimo iter
fecit, Lugdunumq; tandem ueni, non tam ulla salutis spe,
quam certa uitæ desperatione. Itaque quo huc me recepe= =
ram consilio, illud prorsus mutauit, nec quas typis manda= =
re decreueram, meæ in Tholosam orationes prius in lus= =
cem exibunt, quam explorata mihi spes conualescendi
ostendetur. Sebastianum Gryphium conueni, et tuo no= =
mine salutavi, uirum certe cum humanitatis et officij ple= =
nißimum, tum doctorum omnium amicitia digniſſimum.
Is mihi tuæ felicitatis et dignitatis recuperatae nuntio ocu= =
los et manus peramanter tollere uisus est, nobis quoq; de
habitatione accommodare uoluit, sed hominis tantum sua= =
uitatem atque benignitatem amplexus sum, et laudaui,
gratiamq; tam officiose sua mihi offrenti et patefacienti
habui, molestie esse nolui. Plura scriberem, nisi me manus
tremor imbecillitasq; impediret, id tamen utcunq; addam:
Literas tuas auide expecto, earumq; desiderio oblagueo.
Quomobrem et si totius corporis doloribus uexer, et
summo

summio meo diei proximum esse me sentiam, tamen quia cupiditate sum, ea si me leues, non dici possit, mihi quam gratum iucundumque; facies. Istud ipsum huiusmodi est, ut ad me diligenter perscrivas, qui meum a uobis discessum sermones secuti sint, quae in me inimicorum minae, quae capta de mea pernicie consilia, quid de mea relegatione promulgatum, quid decretum, consecutumque; quis porci

Drusacus. nostri grunniuntur, quis furor, quae petulantia. Ego si id aste impetrem, ut ea me uoluptate expleas, et facias cupiditati nostrae satis, magnum mihi beneficium dabis, et meam de tua erga me benevolentia opinionem confirmabis, tibiique; me plus plusque; in dies deuincies, ac quam ad conualescendum diligentiam adhibeo, ubi mihi rectius erit, omnem in eo ponam, ut ponderosam aliquam epistolam plenam non modo rerum mearum, sed omnium et actionum et rumorum, qui hic uarij dissipantur, a me accipias.
Vale. Lugduni, Cal. Sext.

STEPHANVS DOLETVS, IOANNI
CLAVSANO S.

Mirifice sollicitus eram, quod iamdiu nihil neque detinebam, neque abs te accepissem: sed quas mihi puerus hodie bene mane reddidit, magna me anxietate liberarunt, et letitia afficerunt incredibili, tum quod apud te esse, ut uolebam, intellexi, tum quod etiam tuum de nostra in Italiam profectione consilium non immutatum cognoui. Hanc epistolam, pulueris et festinationis plenam, in ipso itinere perscripsi, cum tribus ante horis Anicio discesssem, ubi morbo grauissimo implicitus dies aliquot subsedi. Nunc bidui a Lugduno abssum, quo, nisi me iustum iter facere

facere ualeatudo impedit, ad Cal. sextiles ueniam. Illinc
et ubiores et subtiliores literas a me accipies, nec te
pusilla aliqua epistola, sed uoluminibus lacessam: eo enim
me seruo, ut te rerum mearum omnium quam plenissime
certiorem faciam. Sed longe sane mallem scribendi labore
leuari, et nos una quam primum esse, ut sermone nostro
familiari et iucundo frueremur, ac de consilijs nostris
nos inter nos communicaremus. Quare rebus tuis e re
tua compositis atque constitutis, fac, huc propediem ad=
uoles, nec longiorem tui expectationem nobis commo=
ueas. Vale. Lugduni, prid. Cal. sext.

STEPHANVS DOLETVS, CLAVDIO
COTTERAEO S.

Quo pluribus iam sepe literis confirmatum a me tibi
quolui, si quando in Italianam proficiscerer, facturum
me, ut ad tempus scires, eo nunc ad te scribo libentius,
meam primum ut fidem liberem, tum ut tuæ epistolæ cele=
riter respondeam. Itaque scito Lugduni me modo esse,
infirma et ægra ualeitudine. Sed spem magnam habeo,
diligentia, quam ad conualescendum adhibere institui,
cito me firmum fore, mox idoneam iter faciendi nactus
tempestatem, uiae me committam. Quamobrem si idem te
tenet Italæ uisendæ studium, quo teneri te mihi coram
aliquando confirmasti, ac si me uti comite non te ma=
gnopere poeniteat, fac huc mature uenias. Tota mehercu=br/>le cogitatione uidere te cupio, et nos una esse uehemen=br/>ter opto. Extrema epistolæ tuæ parte quod me multis uer=br/>bis rogas, ut meum de legum doctrina, ad quam incum=br/>bo, iudicium sententiamq; feram, eamq; ad te scribam,
rem

rem inuidie plenam petis. Atque quanquam omnia tua
causa & cupiam, & debeam, nihilq; à me tibi negatum
uelim, tamen pro singulari tua in me benevolentia temere
commisum nolis, ut leui meo minimeq; necessario iudicio
loquacem iuris interpretum turbam, & abiectam legu-
leiorum fecem, in me abs re concitem. Dicam nihilomi-
nus, quod uerum nemo neget, nec legitime discipline
propugnatores modo ullo posse offendere. Non habent
satis magnum campum illa tot laudibus cumulata legum
studia, in quo cursum teneant, aut liberius euagentur,
celso nati ingenio, & mente diuina prædicti. Questus stu-
diosis forte satisfaciunt: at altis studentium, industria &
commentationibus optatam, aut dignam præclaris conati-
bus materiem non suppeditant. Sed ijs tamen operam do,
tuq; ut des, te & hortor, & rogo: ut quoniam ab huma-
nioribus nostris literis & eloquentiae facultate non omni-
no abhorrent, ea quoq; degustemus, & degustatis nostro
arbitratu utamur. Facit hoc ipsum meum consilium, ut in
Italiam me conferam, quod si probabis, ad nos quam pri-
mum accures, ut quo proficiisci nobis constitutum est,
sine ulla hyemis frigorisq; molestia iter ad ineuntem au-
tumnum faciamus, Matri tuae meis uerbis salutem. Vale.
Lugduni, quarto Non. sext.

STEPHANVS DOLETVS, IACOBO
BORDINGVO S.

Has scripsi in eam partem, ne me immemorem pollie-
citi putares, aut fidem minus etiam probe ingenueq;
præstare. Tu quid respondeas, quid ducas argumenti,
meditabere: atque diligenter uidebis, quod meo rogatu,

et tua

*Ex tua assensione modo inter nos conuenit, literarum ut
scriptione contendamus, huic tu ne desis officio, nec no-
stram expectationem fallas. Vale. Tholosæ.*

STEPHANVS DOLETVS, IACOBO
BORDINGVO S.

Epistolæ tuæ quid respondeam, penè medius fidius ni-
bil est, stomachi plenæ quidem illi, atq; ingenij leui-
tatem, quām amicum animum indicanti expressius. Nam
tu dum illud uis, tibi me scribendi copia loquacitateq; ob-
strepere, quām parum tibi constes, & à morum tuorum
suauitate abhorreas, tui sit iudicij. Pluris amorem nostrum
à te fieri existimabam, nec orationis copiam, aut scriben-
di ubertatem tantum à te expeti. Neq; eo protinus inter
nos de scribendo conuenit, ut te literis explerem. Tantum
postulare uidebar, neque tu dissentire, otij ut si quid fo-
ret à studijs nostris interdum reliqui, id quidem literarum
uiciſſitudo suo uelut iure sibi ipsa uendicaret, nosq; amo-
ris abundantia, non literarum ubertate certaremus. Porro
quòd me scribis flumina Ciceronis sequi, eaq; à me taci-
tus requiris, cum illa capere epistolæ bruitas finesq; ne-
queant, tum id uero uix satis rideam, eloquentiæ uim di-
cendiq; facultatem ijs à te cancellis terminari, ut epistola
humiliq; quadam atque abiecta literarum scriptione expli-
cari posse censeas. Demiror illud quoque, tanta te doctri-
na, tanta eruditione, lingua tam expedita atque uolubili,
tam felici, acuto, prompto, exacto, tam uehementi deniq;
ingenio uirum, ex re qualibet scribendi argumentum non
posse ducere. Noſtræ autem literæ quoniam eæ tuo sunt
iudicio, ut rerum nihil habeant, scribendi consilium abij-
i ciam,

ciām, & te hac molestia leuabo, ne te literæ, ex quibus
fructus nihil percipiās, postea obturbent. Agerem cum
alio acerbius, & quos retusos uides, sentiret aliis excus-
sos orationis nostræ aculeos. Sed cum te etiam inimico
modice, uel intra modum potius, agere decreui. Tardius
scripsisse me non mirabere, & quid excusare possem, facile
per te coniūcies. Vale. Tholosæ.

STEPHANVS DOLETVS, IACOBO
BORDINGVO S.

Commoturam te epistolam meam equidem suspic-
abar: tam ualde turbaturam, quam scribis, non pu-
tabam, hominem à stomachandi consuetudine alienissi-
mum, & animi constantia prorsus cedentem nemini. Is
siquidem uideri cupis, quam tu tamen sis, tu ipse uideris,
qui id dum pugnas, & unum utique studies, ne re ulla
moueare, ac animi grauitatem altitudinemq; retineas, cre-
dibile non est, quam exulceratum, quam stomachari,
quam te grauiter affectum ostendas. Nam quod totus in
te purgando es, uel in me potius accusando (quanquam
id parum aperte facis) ita demum interpretari lubet, ut
cum te affinem culpe, & stomacho, quam satis est, acer-
biori intelligas, id apud me probe dissimules, & rem uer-
bis pulchre etiam tegas. Non prætermittam ne illud qui-
dem, me à te grauiter pungi, à quo epistolam tuam sim-
plici quodam, germanoq; candore conscriptam (tua tibi
refero) tam sinistre detorqueri iudices, inimico uidelicet
animo lectam, neque acceptam amico. Nihil quicquam ab
ullo mihi turpius unquam foedius'ue obiectum est, nec à
me minus moleste latum. Quid enim amico non condonē-
tamet si

tametsi humanitatem abs te modestiamq; desiderare pos-
sim : neq; id non facile cernis, hoc si planè cernis, fœdi-
fima me labe à te turpitudineq; aspersum, quem scripta
detorquere tua tam aspere quereris. Sed de his non plus
ra, ne in quo te reprehensum uelim, in eo te uidear imi-
ri, et stomacho uix iam imperare, à quo cum hactenus
uehementer abhorui, tum illud semper uolui maxime, ne
me cuiusquam morsus impune læderet. Nunc facio, ut
quod à me postrema tua epistola quæreris, meum de te iu-
dicium scribam. Tu mihi secundum me ita es, ut sis penè
par, nec quenquam plus te uno anem : ingenium tuum,
mores, literas, singularem denique doctrinam, quām admi-
rer, quām prædicem, (sine ulla ironia loquor) quām ple-
na manu, quām ingenue, quām ornate tuas laudes in cœ-
lum efferam, ab alijs malo te, quām à me cognoscere.
Restat, ut te quodammodo molli brachio de animi levita-
te obiurgare me non grauiter feras, nihil enim ultra mo-
dum, et argumento magis, quām stomacho libuit inferui-
re. Verum ut ne te de eo non præmonitum dicas, literis
me obruas, licet, à me posthac ne tu quidem literam, otij
nisi plus nacio, aut nostris intermissionis aliquando studijs.
Vale. Tholosæ.

STEPH. DOLETVS, IACOBO CA-
LANCONIO S.

Mouet me cum amoris erga te mei magnitudo, tum
studium prope etiam singulare, ut nostram longo
antea temporum interuallo penè dissolutam amicitiam,
nunc mutuo, eodemq; familiari sermone reconciliatam,
et mihi in primis gaudet, et tantopere me gaudere, tibi
i 2 signific

significatum uelim. Tu modò fac, ut ad te quo scribimus animo, eodem hæc accipias, nec mibi præter rem quæsumum epistole argumentum, sed oblatum putas, nimia tecum, si minus forte coram, per literas saltem colloquendi cupiditate. Quia in re nihilo mibi erit molestius, meum abs te pudorem requiri, quam iucundius meæ uoluntati morem parte ex aliqua gestum. Sic habeto tamen, iusta hæc à me causa necessarioq; scribi, ut, de quo te & amamus multum, & prædicamus ubique plurimum, munera tui nomine tibi nunc gratiam si cumulate referam, tanti certe officij memoriam seruare me perspicias. Hanc scribendi causam dum sponte probabis, id adiungi non graueriter feres, quanta exultem letitia, ea te tandem doctrina politum, ea uirtute instructum, quam egregia tua indele fretus sperare uisus sum semper, nuncq; uehementer opto, ijs aliquando fortunis honoribusq; augeri, quibus tui te generis splendor, doctrinæq; præstantia iure ornari postulat. Quod ipsum, omniaq; nullo negotio cum maxima dignitate consequere, si quam expectationem tu concitasti, illam sustinere ac tueri perpetuo memineris. Crede mibi, mi Calanconi, hoc, quem tenes, cursu, tibi accessiones fient, & fortunæ ex nominis, quas non quis unius sua se diligentia labore'ue consecuturum speret, tibi profecto certæ sunt. Quare hoc te admoneri non alieni putabis, ut, quæ à summa uirtute summoq; ingenio prestari posse uidentur, ipsa illa à te abunde præstanta statura. Ego in tuis rebus, meis optatis fortunam respondisse maxime letabor, tuq; meum in te animum obseruantie & amoris plenum atq; eximium non aspernabere. Vale.

Tholo

Tholosæ, sexto Cal. Decemb.

STEPH. DOLETVS, EVSTACHIO
PRAEVOTIO S.

NOsti'ne eos, qui & eloquentie studiosis inimici,
& huius etatis scriptorum leuisimorum quorun=dam ineptijs harentes, linguae Latinæ lumina de cœlo detrahere, & equalium contra nostrorum nescio quas triccas, laudibus efferre conantur? In istos heri cum incidissem, neque tu conjecturam facile ducas, neque uerbis asse=quar, quantas mihi tragœdias suscepta literarum huma=niorum causa, antiquorumq; laudata dicendi uis excita=rit. Deum immortalem, quo impetu, qua amentia, barba=ros homines ad Ciceronis nomen frendere, quam graui=ter ad Germanæ ueræq; eloquentiæ informatam à me effi=giem, commotos spectasse: id autem insano clamore sæ=pius audisses repetitum (qua uox est uictis frequës) tu'ne quod nostris adimis, tuo tu uulgari studio, tua tu infan=tia præstes? Quasi uero quos tantopere laudatos isti uo=lunt, aut eo sint inter doctos numero, nemini ut cessuri uideantur, aut dum pro se quisq; eloquentiæ tuetur digni=tatem, omnibus certamen indicat. Risisti iam, puto, mul=tum, ridebis paulo etiam amplius, id si prius tibi induxe=rus, noscendo ut istorum ingenio, molestiam omnem ab=sorbere non renuas. Evidem cum illos gymnasij præ=fuisse significo, id simul designo, qua tu eruditione cen=sere debeas, illinc profectos, unde uel nemo, uel pauci elo=quentes prodeunt. Accedit huc, hominum istiusmodi stu=dium omnemq; penè operam in arteis abiectas, easdemq; non necessarias collatam. Sibi nihilominus nomen docto=.

rum sumere, laudem sibi in literis præcipuam arrogare audent. Ad hæc, quanta gloriæ cupiditate ardeant, nisi cui cum illis consuetudo intercessit nunquam, aut qui sensu prorsus ipse careat, non dubie iudicare possit. Hæbes ineptos barbarorum conatus, quibus ridendis ex- pleas te, licet, risu tamen ne disrumparis in tanta occa- sione ridendi diligenter uidebis: ego istorum ineptias nō ridebo, odio plus Vatiniano, conuicijsq; perpetuis im- sectabor. Vale. Tholosæ, prid. Idus Octob.

STEPH. DOLETVS, IO. LANGIACO
EPISCOPO S.

Constitueram iampridem, tuarum quod laudum magnitudini responderet, meumq; in te studium te- staretur, quicquam aliquando scribere. Quod meum con- filium cum plurimis ijsq; maximis & grauißimis negotijs abijicitur, institutum persequi dum nequeo, à ceptis dum inuitus abstrahor, quamgraui ter istud sit à me latum, faci- le potes coniucere. Nam quin tibi memoriam, officium, obseruantiamq; quam debeo libenter præstare semper uo- luerim, non ambiguum habes. Atqui dum me aliud ex alio impedit, & animo obsequendi, & nostrum tibi nauan- di studium defuit prorsus facultas. Sed quando nunc anie- rum relaxasse uideor, atque ab illis, quæ me distinge- bant, curis negotijsq; paulum modo respiro, meam illam laudandi tui sententiam mutasse censear, id nisi, quod per otium licet, at concessum mihi summè semper cupij, di- ligenter prosequar. Itaque ad te scribendi hic mihi in eo prora (ut aiunt) & puppis est, ut qua te oratione lau- dandum

dandum suscepi, ipsa te illa ne lateat. Obsttit diu tamen pudor, uetusq; metus, haec ne ad te mutterem. Pudor sci- licet, ut inertiae infantiaeq; mihi meae conscius, id mihi ne sumendum arbitrarer. Metus sanè, ut viro omni dignita- te, omni splendore, omni laude præstantissimo, meis ine- ptijs ne ducerem obstrependum. Sed tamen tuae humani- tatis magnitudo, & meum perpetuum de te iudicium fe- cit, ut mea magni interesse putarem, nostram tibi operam, laborem, omne denique officium in hac re non deferri. Causa ea una fuit, quæ me ad id suscipiendum perpulit: tua uero ne te fallat expectatio, à me dignum te quic- quam, aut, quibus flores, uirtutibus par scribendi genus caue omnino speres, nubi tam minime notum, quam tibi maxime debitum. Tantum mea oratione consequere, ut, quam in te omnes suspiciunt, raram quandam & diui- nam uirtutum omnium præstantiam, unà cum alijs effe- ram. Atque quicquid est, quod uel insolens interpreta- ri, uel impudens existimare libeat, sic demum statuas, idq; tibi inducas, uelim, ingenij tui suauitati, quæ huic me pertraxit, & tuorum in me beneficiorum amplitudi- ni, omnem adscribendam culpam, studium nostrum non aspernandum, quo si id mihi suscipiendum censui, eò certe censui, ut tibi potius animum erga te ostenderem meum, quam scribendi uenditarem facultatem. Id si pu- tabis & credes, pudorem in me minime requires, & ani- mum nostrum deosculabere: quod te facturum perinde spero & opto, ac istud ipsum à te uehementer peto. Vale. Tholose, Cal. Ian.

STEPH. DOLETVS, IO. LANGIA
CO EPISCOPO S.

AD septimum Idus nouembres literas tuas accepi,
quas ad me Maſilia x iiii. Calend. Nouembres de-
disti. Sexto idus octobres datus à te alias, nec mihi rede-
dedit tabellarius, & ad quem in eandem rationem cum
meis scripsisse te significas, quicquam se accepisse Clau-
ſanus tuus negat. Afficimur magno uterq; dolore, uixq;
dici poſſit, quām molestum iſtud nobis accidat, que nu-
per ad nos ſcriperas, non eſſe perlata, & mandatorum
tuorum ignoratione, tibi nos, ut uolumus, & optamus,
in tam amplo tuo negotio, operam präſtare non potuiſ-
ſe. Sed ſi quid eſt ex tua ſententia minus forte ſedulo cu-
ratum, id omne in pueros tuos conſeres, nec me negli-
gentiæ accusabis, qui ut noſtram tibi operam cupide ſem-
per detuli, ita quæcunque à me ſumma officia expectare
uoles, tibi conſirmatum uelim, non falsurum me opi-
nionem tuam. Studia uero noſtra, quæ hactenus opum
tuorum copijs ſuſtentanda duxiſti, ne committe, ea ut
ipsa à te neglecta deſertaq; iaceant: Ne ſim ſaluſ, ſi
unquam quicquam tam enixe conabor, quām ut benefi-
ciorum tuorum in me non ſuſtinere ſolum gratiam ui-
dear, uerum etiam illa ut ſcriptis noſtris aliquando illu-
ſtrem, necnon tibi me ornamento eſſe ita ſentias, ut tu
præſidio mihi, ſtudiorumq; noſtrorum rationibus fue-
ris: ſi modo in ijs aliquid literis, labore aſiduo, diligen-
tiaq; proficitur, ad quas à pueritia inflammatuſ ſtudendi
tempus prätermiſi nullum, ut aliquo haberer eximie do-
ctorū numero, & nunc datur à nobis opera, ut ne tuæ de
me opin

me opinioni desim, uoratumq; spe decus tandem ipse con-
sequar. Quod si tu ne in hac quidem ratione animum no-
strum negligis, me non fortunarum tuarum amplitudine
iuari tantum, sed augeri etiam atque ornari cupies, tibiq;
me accepta referre omnia & libenter palam testabor, &
ubique studiose prædicabo. Vale. Tholosæ vj. Idus
Nouembres.

STEPHANVS DOLETVS, IOANNI
LANGIACO S.

NVmerati mihi sunt à fratre tuo numi, quos ad me
miseras. Hi cum mihi usui maximo fuerunt, tum
uero singularem tuam erga me munificentiam multo qui-
dem testacionem illustrioremq; reddiderunt. Quod abs te
ambitiosius postulare me non patitur tua in me uoluntas:
te tamen orabo, quæ hactenus benignissime liberalissimeq;
fouisti, studia ut nostra perpetuo sustentes, atque tueare.
Plura in hanc rem non scribam, ne currenti instare, ac de
humanissimo diffidere uidear: addam hoc solum, in ani-
mo mihi esse, Patavium ad ineuntem autumnum profi-
cisci, illic ut studiorum meorum legitimorum rudimenta
ponam, & cursum in literis susceptum conficiam. Mihi
in hac re, ut in omnibus, præsidio opus est tuus, sed tamen
antea uehementius te non rogabo, quam tuam senten-
tiam elicuero. Itaque tu quando consiliorum meorum
moderator es, & studiorum fautor, ex te totus pendeo,
& quid fieri uelis, propediem audire cupio, ut mearum
cogitationum summam aliquando faciam. Tholosa suum
nuper præsulem exceptit, grauiore affectum morbo, quam
uitæ spe longioris: cui dum fortuna plus satis ad blandita-

i 5 est

est, simul cum honorum splendore opumq; profusarum copijs, morbum exitiosum iniecit. Sic nobiscum ludit dea fœua, neminemq; diu felicem, aut ex omni parte beatum patitur. Sed pauca de re: præsertim cum uideam ad quem scribam, uirum grauiſſimum, & ridenda rerum humana-
rum imbecillitate constantiſſimum. Utinam uita functi exuuijs ornare, tibi cum ob uirtutis tuæ magnitudinem, tum ob datam à te negotijs regijs operam iure quidem debit. At deus hæc uiderit. Nos interea tibi summa omnia optabimus, & tuæ incolumentati bene feliciterq; pre-
cabimur. Vale. Tholosæ, Cal. Mart.

STEPHANVS DOLETVS, IACOBO
ROSTANO S.

Tibi quid debeam, facile uideo, qui doctissimi humi-
niſimiq; uiri amicitiam mihi conciliaris: quo istud exoluam, prorsus non habere me, grauiter quidem fero.
Sed me in tuis etiam iacere nominibus facile patieris, at p-
tabis inter idonea, pugnabo enim, id omne quicquid est, à
me ut expunctum bona fide aliquando intelligas, & ne
me ulla reliquorum ratio in posterum angat, omni solu-
tum nexu, & hoc uelut ære alieno liberatum. Ego tamen
dum omni studio atque opera conabor, ne tui huiusc offi-
cij immemor, & nihil quoq; minus, quam tibi debere uidear,
perficiam, me ut in ære tuo esse semper, & propri-
tuum modo nullo dubites. Vale. Tholosæ.

STEPHANVS DOLETVS, CLAVDIO
BARROO S.

Quod tibi isthinc discedens promisi fore, ut crebro
te literis appellarem, nihil hic iam magnoper
cesso

cesso, tibiq; spondeo minus me postea cessaturum, ac tuæ
cumulatæ responsurum expectationi. Id quoq; à te mihi
diligenter præstatum uelim, ut quem tu sponte quidem
antea nobis tua opera retinuisti, Langiaci nostri erga nos
uoluntatem lentius ne moueas, atque hoc studiose perfic-
cias, nostri ut memoria apud illum tua sœpe commendatione
renouetur. Quod ipsum ut studiorum meorum rationibus maxime
commodum necessariumq; cognoscis, sic
operam ipse dabo, istud si à te mihi curatum sentiam, gratum
ut tibi hominem memoremq; in perpetuum deuin-
xisse intelligas, et id apud me posuisse collocasseq; offe-
cij, te non pœniteat. Vale. Tholosæ.

STEPHANVS DOLETVS, IACOBO
BORDINGO S.

Quod te scire magnopere uellem, post meas ad te
literas, nihil hic planè gestū est. Sed proficisci ad
te Symoni Finetio communi amico nostro non potui
nihil dare, ut in re etiam parum necessaria diligentiam
affectare me cognosceres, et te sic demum obligarem,
binis ut à me acceptis literis, unis tuis mihi ad omnia re-
spondendum tua magni referre existimares. Budeus que-
admodum uite nostræ institutum rationemq; probet,
quam ei proxime explicatam uolui, certiorem me quam
primum facies, idq; addes, Lutetiae quanta sit aut docto-
rum, aut infantium autoritas. Quod si isthic ut Tholosæ
literati odio sunt, et opprimuntur, ab eo deduci non
possim, quin fortunam uel fortunæ stultitiaeq; mancipia, in
nos perfidiose et scelerate coniurasse arbitrer: id quod
eo minus miror, ijs quod temporibus calumnia atque
iniquitate

iniquitate pro sapientia & iustitia quibusdam licet uti.
Vale.

STEPHANVS DOLETVS, SYMONI
FINETIO S.

ETiam nunc video iniurie memoriam quam diligenter serues, amicitiae quam negligenter custodias: qui meis literis tot saepe obrutus, unas uix tandem mihi easdemque breuissimas aliquando miseris, ac re tam leui iam pri dem offensus, uelut capit is causam in me dici uelis. Equidem cuius me accusas, sceleris crimen nullum agnosco. Tu modò operam da, ut quo tibi nomine insimulandus uideor, mihi accurate perscribas. Nec enim dubitas, quanti te semper cum ipse sponte, tum uel maxime tui & ingenij & morum facilitate adductus fecerim, id quoque recordari te puto, uias ut omneis sim hactenus persecutus, ne, quam tua singularis humanitas & eximium erga doctos studium benevolentiaque postulat, fama perpetuo careres. In quo tuas si forte literas doctis communeis uolui, à culpa tantum ipse absum, quanta & elegantia scriptae uise sunt, & admiratione lectae. Apud te uero meas si manere ueritus sum, timori nostro ignoscet, & mihi tam honeste prospectum non dolebis, damno in hac re ut affectus nullo, ita quoque ad elegantiorum lectionem promptior. Plura non scribam in eam rationem, ne, quem ueteri offendit me adhuc alieniorem sentio, rursus tibi stomachum faciam. Sed quia nulla grauis causa subest, magnopere con fido, his te mihi literis si non restitutum planè, at certe placatum. De quo certiore me ut facias, sicut te uehementer rogo, ut nihil uehementius: aut enim te amare pergam,

aut

*aut me igni grauiſſimo liberabis, mea in te benevolentia,
qua quid ardentius? Vale. Tholosæ, ad x. Cal. April.*

STEPHANVS DOLETVS, IOANNI
LEPIDO S.

Sllenij nostri tam diuturni causa fuit, quod, ad te li-
teras cui recte darem, antea non habui. Adhuc equi-
dem cum incertus sim ubi sis, propter hanc quoq; dubita-
tionem brevior hæc mea epistola est. Tu quid rerum, atq;
ubi loci agas, ut sciam, curabis, meq; certiorem facies,
ecquid de Antonij nostri reditu, proximo'ne illo, an nobis
prosperus desperando: hoc ut credam, non adduci certe
possim, illud ut optem, facit nos tamen erga illum summus
atque incredibilis amor. Nam quo maiora eius in me offi-
cia studiaq; illustriora semper extiterunt, eo nunc illum
quidem uehementius expecto, et ad nos brevi redire cu-
pido studiosius: idq; cum multis de causis, tum uel maxia
me, ut familiari nostro eodemq; iucundissimo colloquio
perfruamur. Illi, si uenerit, literas nostras reddes, et fa-
lutem imperties meis uerbis plurimam. Aulæ rumores,
quorum uentos omnes à te studiose colligi certo scio,
cognitos autem tibi non dubito, ad me si quam cupiosissi-
me scribes, gratum mihi facies, et magnopere iucundum.
Ruri enim literis abditi inuolutiq; agimus, quo noui non
modo affertur nihil, sed nobis uerendum est etiam uehe-
menter, ne rustici ex urbanis facti risum tibi aliquando
moueamus, et tu nos aulica uestra dicacitate perstrin-
gas. Ad sumمام genus hoc est uoluptatis meæ, ut in re-
bus undiq; audiendis, et nuntijs uarijs accipiendis, paulo
sim curiosior. Qua in re mihi si operam naues tuam, offi-
cio

cio satisfacies, ac uoluptati indulgebis mæ, teq; diligenter, quem negligentem nunquam putaui, perpetuo existimabo. Vale. Datum Ruri, Cal. Sext.

STEPHANVS DOLETVS, IOANNI
PINO EPISCOPO S.

NVnc ego literis tuis oppressus, id præsto, quod me prius præstare par erat, & cum unà essemus, tibi spoponderam atque receperam, nullam me ad te scribendi occasionem prætermissurum. Id quo minus à me cumulate præstitum sit, non mea factum est negligentia: in causa fuit certe morbus, quo hactenus grauiſſime laboravi. Iam cum salutem in perditis & desperatis non omnino habeam, & me morbo expeditum breui fore sperem, ad pristinam meam scribendi alacritatem redeo, ac meum ad te literarum interuallum, scribendi diligentia sarcire cogito. Initio hoc scribo potiſſimum: Nisi te ita esse, pro certo haberem, ut tua in omneis beneficia studioſius cumules, quam gratias ab obligatis referri cupidius audias, referrem & libenter, & abunde, eaq; apud te oratione uteſter, qua iij uti solent, qui ex gratiſimi, & beneficiorum memores maxime uideri haberiq; student. Sed qua expectatione teneri te certo scio, eam potius explebo, quis meus ad hunc diem status fuerit, perscribam, & quòres nostræ loci sint, ut intelligas, faciam, quando eo te desiderio flagrare ſuſpicor. Igitur de urbe Tholosa cedens, propter ridiculorum hominum in me odia, & profligatorum inimicitias rus me amicorum adhortatione abdidi, inuidorum confpectum fugi, ſolitudinem amauī, locumq; delegi & amoeniſſimum, & studiosorum habitationi ac commo-

commodatiſimum: quam mihi felicitatem inuidit fortuna,
et inimicorum impotentia eripuit. Etenim illinc mature
auſugi, ne mea calamitas immanissimā iſtorū mentem oculosq;
ſatiaret, ac nefariam ſaturaret crudelitatem. Præſens
quoq; loci amoenitate frui non potui, infirma ualetudine
perturbatus. Sic hostium insectatione coactus, et morbo
affectionis acerbissimo, Lugdunū, quo ante a cogitabam, me
cōtuli, qua mente quo' ue cōſilio, indicaffenſt meae in Tho-
loſan orationes et epigrāmata, ea niſi in lucem exire ue-
tuſſet ualetudinis meae perturbatio. Itaq; quā ſibi diligen-
tiam ſtudia noſtra ante hoc tēpus uendicabāt, ad cōuale-
ſcendū omnē adhibeo. Ruri etiā nūc ego de medicorū ſen-
tentia, ubi morbi noſtri reliquias facilius citiusq; propter
coeli lenitatē depulſum iri ſperāt, nec ſpes eos fruſtra qui-
dem habet, à febre iam dies octo relictus ſum, corpusq;
quod ægrotas amiferā, recuperai, et nunc conduplicari
ſentio. Noſtræ ſolum requiro cōſuetudinis iucūditatē, ex
qua nō tantā aut uoluptatē, aut fructū capiebā, dum frue-
bar, quanta nunc moleſtia afficio, ea dum careo. Illum
intueri, illum coram obſeruare et colere, non dari mihi
mirum in modum doleo, cuius perpetua fuit conſtantq;
et inuicta defenſio ſalutis meae, apud quem nemo me fue-
rit unquam honoratior qui de me diuinitus meritus ſit, in
cuius beneficijs prædicandis atque recolendis omnem meā
eſſe attatē cupio. Ac uix credas, mi Pine, beneuolentiæ
erga me tuæ memoriam quām religioſe ſeruem. Mihi ſepe
occurrit grate quidem et iucunde, quām me ſuauiter
completebaris, quām amanter deoſculabar, quām huma-
niter conſolabar moleſtijſ conflictatum. In mentem ſepe
ueniunt

ueniunt fortia illa tua, & mirifice tuis cogitationibus cuius
gilata consilia, quibus existimationi meæ, quibus dignitati,
quibus saluti prospiciebas. Illa, me omnia tibi, uel uitam
debere, commonefaciunt. Ad studia uero literarum, tua
tam suavis, tam liberalis, tam paterna invitatio atque ade-
hortatio, quo apud me loco erit? Omnem superat reli-
quorum tuorum in me officiorum magnitudinem, neque
committam, ut ea apud me frustra usus uidearis: ea à te sic
me incensum inflatumq; cognosces, ut nullo debiliter
frangar' ue labore, quin uel extreum in literis spiritum
ipse ducam, & præclaris ipsis conatibus immoriar. Etiam
quam ex meis studijs laudem & gloriam adipiscar, tibi
uni dicabo, illius ipsis autoris, & duci. Quid s; literarum
nostrarum intermissionem, & longum meum silentium
dum hac uerbosa epistola compensare adnitor, hoc forte
efficio, ut me in perpetuum silere malis, quam isto inani
sermone, & meis plebeis uerbis obtundi. Quare finem
scribendi fecero, hoc si modò addidero, rumores qui
Lugduni seruant & caleant. Ad me minima etiam queq;
curiose perscribunt, quos illic habeo mei amantissimos
plurimos, & consuetudine familiari implicatos. Itaque es-
scribam, que, non dubito, quin ante ab alijs multis audie-
ris, sed nostrum in hac re officium tibi nihilominus gra-
tum erit. Clementem summum Pontificem ueneno è me-
dio sublatum hic dissipatum est, eo huc nomine Gallorum
Cardinaliū natio concurrit, ut Romam mature aduentet,
deum deo sed mortali tamen, suffectura, & enucleata illa
sua suffragia in Pontifice designando latura. Gallum spe-
rant multi, merum inde bellum loquuntur omnes, & tunc
multum

multuum occasionem subodorantur, atque animo prouident. Regis aduentus expectatio crebra est hic multorum sermonibus commota, sed hoc optatum magis, quam certum, refrixitq; ille iam rumor, et pene extinctus est. Has bes Lugduni audita et perulgata. Tu suam ne semper immanitatem et crudelitatem Tholosa retineat, fac, quæso, ut sciam. Nam et si præcipue animo excubo, ut atrocies illius in me iniurias ulciscar, tamen me satis superq; ultus, mibi ipse uidebor, illam si mores suos retinere, et crudelitatis fama inustam semper audiam. Lugdunum ubi rediero, illinc me nisi plane confirmatum et ualentem non commouebo. Quapropter id abs te singulari studio contendeo, uel potius precibus omnibus oro, et obtestor, literas ad me mittas, nec tibi nostri memoriam, ullum aut tempus, aut absentie longinquitas abstergeat. Vale. Datum ruri, ad Sext. Id. Aug.

STEPHANVS DOLETVS, CLAVDIO
SONNETIO S.

Eadem te saevitia & crudelitate Tholosae vexatum,
qua docti omnes, literarumq; studiosi & iniquissi-
mè & immanissimè conflictati atque oppressi sunt, modo
nullo miror, qui in eodem casu fuerim, ac hominum bar-
barorum perditorumq; calumnias aut ulla uirtutis cele-
britate, aut ingenij fama, aut uite innocentia, non effu-
gerim. Quamobrem nihil me ea parte literæ tuæ offen-
derunt, qua cum urbe atrocissima de iniurijs, quas ab
illa accepisti, expostulas, calamitatemq; tuam tam acerbe
quereris, id unum stomachor, Tholosam omni exitio
k atque

atque pernicie dignam, in tanta rerum omnium licentia,
& tam diuturna iniquitatis impunitate uersari. Sed iam
stomachari desino, teq; meo exemplo admoneo, & hor-
tor, æquo ut animo simus & forti, nosq; ab omni mole-
stia & angore abducamus. Nam quoniam maximo illo
& æterno peccati dolore non urgemur, culpaq; nos ca-
rere constat, prorsus nihil abest, quin omnes omnium
fortunas superemus, & felicissimi uideamur. Hanc meam
consolationem tenuem aut uulgarem non putabis, qui
omnem iam demptam tibi solicitudinem spero, neque ani-
mum quidem ita contrahes aut desponebis, ut, quo flo-
res ingenio & singularem de te expectationem concit-
sti, illud iacere, aut torpore labefactari sinas. Recipe te
ad pristinam tuam mentis tranquillitatem & altitudinem,
literasq; studiose amplectere, que uniuersam tibi mole-
stiam delebunt, docebuntq;, ridendam humani status im-
becillitatem, non ægreferendo huius uitæ casus. Quod si
eo pacto philosophiae consilio uti libet, animumq; mole-
stijis aliquando relaxare, urbis nefariæ conspectum uita,
& ad nos fac quamprimum aduoles. Garribimus quic-
quid in buccam ueniet, & iniurias nostras scripto aliquo
ulciscemur. Hoc literularum exaraui ante lucem somno
adhuc sepultus, cumq; manuum & dentium tremor, fe-
bris mihi recursum denunciaret, in quam me iampridem
incidisse non ignoras. Sed tu effice, ut animi ægritudi-
nem, qua te tabescere scribis, tam fortiter feras, quam
ægroto uiriliter. Dolorem molestiamq; tibi leniet & ad-
met dies: in quo etiam constantia & mentis celsitudine
medicinam tibi ante diem repræsentare possis. Ego animo
semper

semper ualebo, et inedia morbum attenuabo, tandemq;
 depellam. Plura à me posthac : amicis nostris interea sa-
 lutem communiter meis uerbis annuncia. Dionysio tamen
 Iunco separatis salutem à me dices, eum longo et gra-
 ui morbo penè extinctum esse ad me allatum est,
 quo nuncio pro eximia et singulari mea erga
 illum benevolentia uehementer percul-
 sus sum. Rem igitur nubi pergratam
 facies; ab eo si literas elicias,
 illasq; aut ad me mittas,
 aut , cum hac ue-
 nies, tecum po-
 tius adfe-
 ras.

Vale. Lugdu-
 ni, tertio nonas August.

k 2 A M I

AMICORVM

EPISTOLARVM LIBER.

JOANNES PINVS, STEPHANO
DOLETO S.



SI literæ tuæ mihi gratissimæ fuerunt, quibus te mirifice mei cupidum intellexi, tamen hoc multo mihi fuere iucundiores, quod et doctissimi hominis ingenium uiderentur exprimere, et doctissimorum ætatis nostræ uirorum Bembi ac Longolij (quorum ego ut olim dulcissima usus sum consuetudine, ita eorundem commemoratione incredibiliter delector) memoriam refricarent. Proinde nihil erat quod negotia nostra ueritus, metueres, ne uel molesta uel parum opportuna foret epistolæ tuæ interpellatio. Tanta enim est huiusmodi apud me amicorum autoritas, et gratia, ut horum causa serias etiam occupationes libenter postponam. Porro quod te uerecundia impeditum fuisse scribis, ut epistola quam uerbis tecum agere malueris, quod epistola non erubescat, non satis commodè potes praetexere, neque enim ignorare debebas, qui amicorum nostrorum uirorumque tam eruditorum studia proprius sequeris, eundem me fore erga te, qui erga illos literatosque omneis habebus fuerim. At ne quid de nostra uoluntate postea dubies, in primis gratum habeo studium tuum istud in nos prop

propensiſſimum, & quod te ultro in amicitiam nostram, qua es dignissimus, tam cupidè insinuas, id sanè non tam tibi, quām mihi fuisset ambiendum. Ceterum par meum studium erga te, malo ut re præſensq; , quām ex literis meis cognoscas. De eximia præſtantiq; tua eloquentia, nihil hic uolo commemorare. Allata iam ante a ad me fuerant de Doletuſ nonnulla, quæ quidem ad laudem eius facere uiderentur, sed quæ minuerent, non adderent. Incesserat tamen mihi ex eo tempore, ita ut uix conquiescere possem, mira quædam uidendi tui cupiditas, genitusq; aliquod scriptorum tuorum uehementer desiderabam. Sed ubi epistolam illam tuam uidere contigit, in qua illico ingenij tui acumen, dicendi grauitatem, orationis splendorem, reconditamq; doctrinam, non secus atq; ex unguibus leonem agnoui, magis etiam ardentiusq; sum incensus, uicit enim res ipsa longe de te conceptam opinionem. Quæ omnia hoc efficiunt, ut si ad nos breui accesseris, multo sis futurus gratissimus. Vale.

IOANNES PINVS, MINVTO
PRAESIDI S.

Ego niſi planè compertum haberem, quantopere bonis artibus & præclaris hominum ingenij studijsq; faueas, non scriberem ad te, nec rogarem, ut Stephanum Doletum, iuuenem rara & excellenti quadam ingenij honestate præditum, commendatum haberes, eumq; in suis periculis summo isto tuo, & æquissimo patrocinio defendendum susciperes : quod tamen minime factum irideſpero, ſi hominis doctrinam, & eximiam eruditionem

k 3 cognoscere

cognoueris. Scio enim, te non minus, quam me delectabit singularis & incredibilis eius ingenij dexteritas. Sic habet in promptu, sic uelut in numerato linguam Latinā possidet, ut ad quamcunq; rem si uerterit, ad eam potissimum & natus, & aptus uideatur. Nam si prosam orationem spectes, nihil aliud fecisse tota uita putabis. Dicendi grauitatem, acumenq; desideras? Epistolæ subtilitatem iucunditatemq; exoptas? Vtraque facultate illum ad antiquos accedere non negabis: quodq; magis murum uideri solet, sic carmine excellit, ut nihil supra queras. Idq; etiam uario metrorum genere, quod multo solet esse difficilius. Nempe si elegiacum tentet, Ouidium, aut Tibullum putas: si lyricum, Lambicum, aut hendecassyllabum scribat, Horatium tibi Catullumq; effungi censeas. Et tamen in tot uirtutibus, nihil abs te peto, nisi ut adolescentem simplicem & incautum, nec alienæ inuidiae exponi, nec aduersariorum testimonij obrui opprimuq; finas, & homini tam docti innocentiam à te omni studio propugnatam uelis. Cœperant nuper inter hunc & Aquitanum nescio quem rhetorem contentiones literariae quædam intercedere, quibus prium ego gaudebam, quod ita utriusque & ali ingenium, & augeri facundiam putabam. Idq; iam olim clarissimos uiros etiam in senatu fecisse cognoueram, Ciceronem & Crispum Salustium, Messallam & Pollioem Afinum: & paulo supra nostram ætatem, Vallam & Pogium, Gazam & Trapezuntium, Gallosum & Merulam: quorum ingenij monumenta maximum posteris fructum attulerunt. Atque itidem ego de his fut

his futurum sperabam. Verum, ut video, longe secus accidit. Nam illi factiosis partium suarum studijs incensi, facile à literis ad arma profilierunt. Sed in quibus nihil adhuc, ut audio, iniuriæ acceptum sit. Doletus tamen coniectus est in carcerem, communiq; suorum inuidia laborat & premitur, atque etiam grauiſſimo criminis contempti Senatus in discriſmen uocatur. De quo nolim tecum pluribus agere, ne tibi molestiam afferam. Amicus iste noster, qui ad te literas meas tulit, faciet te de ea re quam copioſiſime certiorem. Vale. Ex leſtulo nostro articulario.

I A C O B V S B O R D I N G V S, S T E P H.
DOLETO S.

ID quod nuper in congressu nostro à me postulaueras, Dolete Doctissime, ut tuis uerbis Ioanni Pino salutem dicerem, illiusq; amicitiam tibi conciliarem, feci id certe tui causa ſedulò: at tu ipſe multo commodius per epistolam tuam perfecisti: que cum fuerit ingenij, eruditionis, elegantiæq; plenissima, uniuersas illas meas de te laudes & obſcurauit, & exhausit, meq; non minimo rubore perfudit, cuius tam frigida ieunaq; amica tamen & benevolentiae plena, mea uirtutum tuarum præconia, epistolæ tuæ tam iniquè responderent. At feci equidem quod potui, idem quoque libenter in posterum fakturus. Neque aliud profecto in causa fuit, cur hoc tempore minora, quam tuæ laudes postulabant, præſtiterim, quam quod tenuis atque arida noſtra di- cendi facultas uirtutum tuarum magnitudinem non pos-
k 4 set affe

set assequi : ut ut est, nihil hinc sanè est detrimenti. Te profecto amo, mi Dolete, pudorisq; mei molestiam facile fero, dum ex hinc auctiss laudes tuas sentio. Certe ut id, quod res habet, amice uereq; dicam, apud Pinum non mediocrem gratiam iniisti, maiorem etiam eruditiois gloriam existimationemq; comparasti. Præclarè de te ex sentit, & prædicat, quòdq; tua nobis benevolentia collecta sit, id uero serio triumphat, atque uix credas, quanta uidendi tui teneatur cupiditate. Quid (inquit) si coram audiam sua uerba sonantem? Quapropter ex uenies quando uoles, uenies autem gratissimus, & gratiam doctrinæq; tuae magnificam opinionem, quam absens peristi, præsens non solum confirmabis, uerum etiam, si quid addi potest amplius, auctiorem facies. Vale.

ARNOLDVS FERRONVS, STEPH.

DOLETO S.

CVM IULIO CÆSARE, SCALIGERO, UIRO OMNI LIBERALI doctrina politissimo, mihi summa familiaritas est. Tantæ enim cum eo mihi sunt causæ necessitudinis, ut coniunctiores, qua inter nos sumus, uix inuenias. Ad eum cum nuper literas dedissem, in quibus de tua singulari eruditione, eloquentia, humanitateq; fecissim mentionem, perbellè ille quidem & eleganter scripsit, non mihi se concedere, ut tui essem studiosior, qua ipse fit: se quoq; ante a eloquentiam tuam nosse addidit, & illud à me uerbis multis contendit, homo alioquin minime ambitiosus, ut tibi salutem suo nomine dicerem: quod ego facio libentissime, tum illius causa, tum liberandæ fidei meæ gratia, quando id me illi præstaturū per literas recepi. Existimo hominis

hominis eruditionem probare te, est enim ex numero ue= strorum Ciceronianorum, & satis iam eru. litis notus, ex oratione quam pro Marco Tullio edidit aduersus Eras= mun Roterodamū. Illud simul g. iudeo, oblatam mihi per eum ad te scribendi occasionem. Etenim, nū Dolete, quāti ego te faciam, semperq; fecerim, possum proferre multos testes, eosq; classicos & aſſiduos. Sed tamen quōd in ea + r. ſt. cl. 1. Oratione, quam nuper in Pinachiū habuisti, ſic Aquitaniā noſtrā uexaris, uehemēter (quid enim amicū celem?) mi= ror. Quippe qui nā uideā te ab ea unquā publice laſum. At à Pinachio (inquires) laceſitus. Reſpōdere homini po= teras, et ab Aquitania abſtinere: cōſiliū tui rationem me= lius noſti, et ego ſanē te, niſi coactū & laceſitum, ad ea deſcensurum nō fuſſe credā. Ille tamen minime reſponsu= rus dicitur orationi tuæ, & qui nos in diſcrimē & flam= mam cōiecit, nunc in incēdio extingueōdo, ſecurus in utrā= uis (quod aiunt) aurem obdormit. Ego quidē priuquam ad certamē deſcēderet, uires explorasset ſuas, uellem, ui= diſſetq; diligenter an te laceſitum & obſiſtentē compri= mere ſuo robore poſſet. Huius tragoediae ſum ſpectator, ſed tamē haud ſcio, quām ex animi ſentētia. Vereor enim, nū Dolete, ne dum ſtudia ueftra in diuersum rapiūtur, & undiq; ſubijcitur calori uero materia, tu ira excandefcas, ac ille aut fractus, aut uictus, perniciem tibi moliatur, ui= taeq; tuæ inſidias tendat. Vale.

ARNOL. FERRONVS, STEPH. DOL. S.

Literas tuas, vi. Cal. Febr. scriptas, accepi à puerō tuo, qui me ex intestinis laborantem, ad hec de uia feſſum decumbentemq; offendit: quæ mehercule ita me k 5 delect

delectarunt, ut morbum, qui aggrauescbat, à me protinus depulerint, subeunte etiam & occupante pectus nostrum mira alacritate. Ita duplcam habeo tibi gratiam, & quod literis tuis è morbo recreatus, & quod non uulgari uoluptate perfusus sum. Tam grata tibi esse officia mea, est certe, quod plurimum gaudeam: tam te anxium esse de rependenda mihi benevolentia, nolim: quippe qui cumulate relatam mihi gratiam existinem, modò ne tibi rationes tuas recognoscendi, inane nomen nostrum persuades, sed quod exigere primo quoq; tempore possis. Deum mihi male propitium uelim, si unquam tua humitas mihi ex animo excidet. Simul & illud sedulo enitar, ne in sterilem prorsus fundum, istam officij impensam fecisse uideare. Quod rogas ne te tot ornem laudibus, nec tibi eloquentis nomen tribuam, Budæo, longolio'ue proprium, tibi nihil dum idoneum. Næ tu unus omnium ista ingenij magnitudine præditorum modestissimus es. Apage mi Dolete, desine nos hoc nonne amplius appellare, atque benevolentiam nostram traducere. Patere nos tuam eloquentiam admirari. Patere eruditionem, quam assequi diffidimus, celebrare. Hominis tibi amicissimi benevolentissimq; uoces plenas laudum tuarum patere. Nolim ne tibi ad blandiri, aut assentari putas. Emoriar, si præter te unum aliquem uideam, in quo possum imaginem antique & Romanæ eloquentiæ agnoscere: quo fit, ut non solum mihi ipse spondeam, futurum te aliquando similem, Budæo, aut Longolio, aut Erasmo, sed etiam parem antiquis illis linguae Latinæ parentibus. Omnino ut paucis, quod sentio, dicā, siue tu mihi Longolium, siue Budæum,

siue

sive Erasmus Roterodamum obijcas, semper istud audacter profitebor, non munorem te ex eloquentia aliquando laudem relaturum, quam ipsi tot eruditis libris promoverint. Habet testimonium hominis tibi amicissimi, de tua laude et eruditione: quod si uerum existimas, ut planè uerum est, pro iudicio: si falsum, pro benevolentia duces. Neque uero tantum putato apud Cæsarem Scaligern commendatam à me eloquentiam tuam. Commendaui, o Dolete, commendaui inquam, apud homines mihi charissimos, quos habeo Burdegalæ ex senatus decuria plurimos, ob patrem qui eiusdem quoq; classis est. Quod si ita aliquando rationes tuæ ferent, ut tibi Burdegalæ iter faciendum sit, cognosces eorum erga te studia. Illud demuror, cur tandem cessas luculentæ tuæ istius eruditionis in publicum specimen dare. Tu hac de re apud te statues, et tamen tuæ laudi ex ea re magnam uides futuram accessionem. Sed de his iam nimia, qui obliuiscar, ad quem scribam. Venio nunc ad eam epistolæ tuæ partem, in qua Aquitaniam nostram à te uexatam negas. Ostendis enim, quam amanter nos præmonueris, causæ fuisse seruendum. Evidem non dubito, quin à te hæc ex animo scribantur, præsertim cum iuratus id affirmes, cui ego uel iniurato libenterissime assensurus essem. Sed tamen aut ego egregie fallor, aut Rhetorica sunt hæc uelamenta. Fingunt se non attingere, quem uel maxime laedunt: insignem contumeliam, et quam uix aures ferant, præmolunt leni præficiacula. Video te iam commoueri, sed necesse est, ut aures mihi his deuorandis præbeas, nimirum perfricabo frontem, et audacter dicam, sensus omneis tui ingenij noui.

Dolebas

Dolebas Galliam tuam à Pinachio læsam, quod ne illi impune esset, Aquitaniam quoq; perstrinxisti, et idem illi reposuisti. Quo enim pertinebant illæ Vasconum nominis repetitiones? Qui sicarij? Vascones. Qui fures? Qui ad omnia flagitia proiecti? Vascones. Reliqua meius nosti, et ego propter Gallorum risum, quo tuas illas interrogaciones excipiebant, pauca exaudiui. Tūc enim, ueluti chorus quidam, cum plausu tibi profuse arridebat, identidem, credo, illud occidentes, Quām bene Aquitaniam suis depingit coloribus. Id ego non scriberem hoc loco, nisi scirem ea parte orationis tuæ, quam modò restuli, ex nostris plurimos offensos, et à tuis nihil iucundius libentiusq; auditum. Quanto satius fuisset temperare ab Aquitania, et omnem eloquentiæ tuæ uim in hostem laceffentem deriuare? Risurum te nostrum hoc consilium scio, sed si putabis boni uiri et prudentis esse, modestia et grauitate, quām contentionum et altercationum uiciſſitudine, uincere malle, tum demum intelliges, consultius multo, et è re dignitateq; tua fuisse, si non nihil de iracundia illa remuſſes, aut certe si omnem in præſentem hostem effudisses: ita enim et Aquitanorum erga te studia conseruasses, et in hostem tuum eos concitasses. Nec hæc fruſtra à me dicuntur, ſentio enim plerosq; qui ante orationem illam tuam honorificè de te loquebantur, nunc à te plurimum abalienatos, tamen quin ex ijs quidam tibi arrideant, non dubito, quoſ ſi propius noſſes, ingenuè amicos negares, qui tam asperis et iniquis sermonibus uiri doctiſſimuſ famam atterere ſtudeant. In tua extimatione propugnanda, quām ego tibi studioſe operam præſtiterim

præfliterim meam, sciunt ex Aquitanis pleriq; ac iam ue-
 reor, ne me in tua castra transfugisse suspicentur, quem
 tui tam studiosum uident. Fremant tamen, licet, ex furore
 disrumpantur, illud de me tibi polliceare uelim, nostrum
 studium in omni genere officij, benevolentiae, amoris,
 quod ad tuas laudes dignitatemq; pertineat, eximum &
 singulare futurum. Iam uero quod scribis Galliam non
 plus tibi iucundam, quam sit Aquitania chara, uehementer
 gaudeo, & ita esse libenter mihi persuadeo. Tholosa pla-
 ne ueterem morū acerbitatē barbariemq; retinet, & cru-
 delitatis famam aucupatur: qua in re illi obijcienda con-
 filium semper probauit tuum, nec mihi quicquam iucūdius
 facere uisus es. De Pinachio autem quod quæris, aut ego
 fallor, aut nunquam ille orationi tuæ est responsurus, nisi
 forte, (ut animo leui, & inconstanti est) consilium mu-
 tet. Crede mihi, hastam iam abiecit, neque posthac in are-
 nam nisi explorate descensurus est. Dissipet ille, quan-
 tumcunq; uelit, frigide te orationi suæ respondisse, certe
 dum tacet, obrutum se copia argumentorū tuorū fatetur.
 Nō desunt tamen, qui illi ad cōtentionē magnopere auto-
 res sint. Quare an mutato consilio responsurus sit, omni-
 no affirmare non ausim. Bene uale mi Dolete, & has no-
 stras ineptias boni consule, in quibus legendis pessime te
 collocaturum tempus non dubito. Sed cum principio epi-
 stolæ tuæ testatus sis, meum ad te scribendi laborem, tibi
 probari, neque esse iniucundum, quicquid ex his contra-
 hes molestiae, tibi ipse adscribes. Huc accedit, eloquentiam
 ab eo non recte requiri, qui in Accursij, Bartoli, Baldi,
 cæterorumq; in conditorum legum interpretum libris, ob-

onus

onus civilis prælectionis totus est. Ad extremum unum est, quod à te impetratum uelim, ut quæ de tua cum oratore Aquitanico contentione scripsi, comprimas & recondas hoc tempore. Neq; enim æquum est, ut quæ uelut in sinum tuum depositui, ea pateant quibusdam, nihil non ad calumniam trahentibus. Epistolam tuam petiuit à me Pinachius, causatus sum eam me apud amicum reliquisse, nec eam cuiquam te inscio lecturus sum. Vale iterum, & me ama.

ARNOLDVS FERRONVS, STEPH.
DOLETO S.

NE mirare ex loquacissimo me tamdiu mutum factum. Accipe purgationem meam, quam si minus eloquenter tibi probauero, suscipe quæso paulisper partes meas, & infantiam nostram eloquentia tua subleua. Ego quominus antea literis tuis responderim, duæ fuerunt cause. Una quòd morbo grauißimo & periculosisimo afficiebar. Altera quòd uerebar, ne rusticitas literarum nostrarum, tibi molesta esset. Tu tamen sic habeto, omnino me responsurum fuisse, si per ualetudinem licuisset: id quando nō licuit, nunc nubi ipse redditus, tecum suauissime agam. Quid ego audio tantus ne tuus in nos amor, ut is morbum nostrum superarit? Non magnitudo amoris, sed eloquentiae tuæ id præstítit, & præstítit ad tempus: attamen non tanta uis morbi fuit quin eloquentiae tuæ elegantiæq; tuarum literarum cesserit: quibus ab oculis nostris sublatis, rursus me incautum sic implicuit, ut nihil penè proprius factum sit, quād me oppresserit. Nam cum pauci sint morbi, quos temporis longinquitas non supere-

ret, noster hic tamen eius generis fuit, ut non solum non leniretur die, sed in dies etiam fieret acerbior: unde ipse mihi in eas angustias deductus uidebar, ut post Christum Opt. Max. consolationem tantum à libris peterem. Sanè sic angebar, sic frangebar, sic me ipsum abijciebam, ut profrus iam de me actum putarem, cum subito adfertur posterior tua epistola, quæ rursus afflictum ita recreauit atque exexit, ut constantior illius lectione factus, & morbum facilius ferrem, & de salute minus desperarem. Quod iterum in tuis laudibus tam multus fuerim, non est cur mireris. Nam præter commune nostrum in doctos studium, ita raras ingenij tui dotes amplector, ut omnem nostram operam, curam, cogitationemq; ad extollendas tuas uirtutes conferam. Quod etiam scribis mirandum non esse, nihil à te hactenus in lucem editum, cum lucubrationes tuas in nouum (ut ait ille) annum contineas, consilium tuum uehementer probo, & pasthac desiderium tuarum commentationum minus grauatum feram, cum ea tarditate, maiorem tibi laudem accessuram uideam. Sententiam hanc ne muta. Video enim quām ridiculi sint multi, qui corrogatis undiq; uocibus, & inepte consutis sententiarum centonibus, opera sua in publicum protulere, certe ueteris prouerbij obliti, Canis festinans cæcos parit catulos: quos tamen ipsos ita damno, ut quorundam cunctationem non admodum probem, qui uix duobus libellis longissimo tempore conscriptis, eruditissimorum uirorum men sibi insolenter arrogant. Perge itaque quæ plurima habes in manibus perpolire, totoq; pectore incumbe ad eam laudem, quam ex editione tuarum commentationum tibi

tibi comparatum iri uides. Me quidem tuæ eruditionis admiratorem & laudatorem habebis. De Aquitania autem nostra, quod scribis de ea te & sentire & loqui hoc norificantissime, mihi pergratum est, & simul ea te culpa exoluo, quam in te pleriq; transferebant. Scito enim te multis eo nomine esse suspectum, tanquam omnium unus Aquitanorum hostis sis acerrimus. Plus certe ualet apud me unicum tuum testimonium, quam tot uanæ susurrum suspitiones. Nec est quod ægreferas te satis antea, mihi non fuisse purgatum, cum patriæ immodicus amor prudentissimis constantissimisq; etiam uiris aliquando possit imponere: cuius amandæ & defendendæ igniculos ingenitos à natura additosq; animis nostris, nemo est qui dubitet. Stomachum multis te mouisse uideo, illos superiore tua epistola perbelle & affabre designasti, qui presentes carmina tua admirantur, epistolas laudant, orationes commendant, à te mox digressi, nouis te pingunt coloribus. Gestit animus unum atque alterum ex illis nominare, sed non opus esse puto, ita mihi eos ipsos scite designasse uideris, qui ita tuum hostem amplexantur, sic effurerunt, sic extollunt, ut stomachum iam mihi faciant: quin me quoq; præsente sic interdum nomen tuum contaminant, ut male feriatos homines conutijs à me depellam. Rogabis, quo pacto eorum comprimam insolentiam. In constantiam leuissimis hominibus obijcio, quos proboc laudatoribus obtrectatores nulla causa factos. Amusimus, mi Dolete, amusimus hoc tempore omnem non modo synceram & fidelem amicitiam, sed uulgarem etiam candorem, & benevolæ uoluntatis ostentationem. Eorum enim

mihi

mihi in mentem uenit, quæ isti ipsi apud me dudum de tuis
 epistolis, carminibus, orationibusq; prædicabant, qui tibi
 communem sensum uix modo tribuunt, tantum abest, ut
 eruditionis palmam laudemq; summam, iure optimo tibi
 debitam, concedant. Et ij multos iam reperiunt, qui sua
 affensione ineptam sententiam comprobent. Odij autem
 causam prætexunt, quòd Aquitaniam oppugnaris. Primū
 à te oppugnatam nego, id si non obtineo, te coactum,
 ex inuitum ad criminationes uenisse assero. Nego Galliā
 Pinachij conuitijs lēsam, facile defendi à te potuisse, nisi,
 quæ in tuos coniecta fuerant, in Aquitaniam retorsisses.
 Sed hos tibi nebulones contemnendos censeo, nec impu-
 ras eorum uoces pluris faciendas, quam à Democrito fa-
 ctas memoriae proditum est: à quo dictum ferunt, eodem
 sibi loco esse conuitia maleuolorum, quo uentre redditos
 crepitus: cum nihil intersit qua parte corporis, sursum
 an deorsum turpiter sonent. Contemne leuissimos homi-
 nes, qui doctorum nomen eò aucupantur, quòd de erudi-
 tiissimis uiris pessime & sentiant, & uerba faciant: qui si
 ex animo de te iudicium ferunt, indocti: sin aliud uident,
 & aliud loquuntur, improbi sunt & nefarij. Horum tu
 nebulonum ridiculas obtrectationes neglige: inuidiam,
 quam in te excitare uolunt, apud doctos & eruditos uix
 excitabunt. Quid uero si apud quosdam excident? inuidiā
 illam uirtute conflatam, non inuidiæ, sed gloriæ loco ba-
 bendam tibi censeo. Hos ne in me commoueam, obtestor
 te, suauis familiarisq; no ster sermo (quod polliceris) in
 alienas manus fac ne deueniat. De incendiendis meis lite-
 ris, res tui sit arbitrij: malim tamen eas asserues, ut tibi

aliquando renouent amici memoriam. Id de me tibi promittere polliceriq; potes, morte tantum meum erga te amorem extinguendum: cui meæ benevolentia mutuo te respondere æquissimum est. Quare pro singulari nostra coniunctione à te petere non dubitabo, ut amicitiam nostram testatissimam reddas. Magnum quidpiam à te peto, nec tamen quid petam, intelligis. Paucis igitur aperiam. Ego, mihi Dolete, audio ab eruditissimis uiris epigrammata tua multum probari propter raram quandam & inauditam facilitatem, ac carminum sonum non inamoenum. Pro ueteri nostra necessitudine à te impetrare uelim, in ijs commemorationem nostri ne omittas, quo posteritas intelligat, Ferronum eum fuisse, quem magnus Doletus amicitia non indignum existimaret. Potes id facere leui epigrammate edito. Evidem perfricui frontem insigniter, qui hoc ausim à te postulare. Tu tamen, queso, id adiice ad maximos cumulos tuorum erga me meritorum. Innumerabilia sunt tua in me officia, quæ omnia tamen uiceris, mihi si, quod à te peto, dederis. Debetur id quidem uel mutuo nostro amori, uel meæ uoluntati in te propensiæ. Obliga me tibi eo nomine. Ego bona fide quicquid id erit æris alieni expuncturum me confido, liberalem maxime nactus creditorem, & gratiarum cupiditate uacuum. Vale.

VIDVS BRELLAEVS, STEPHANO
DOLETO S.

Scribam alias ad te pluribus, nunc mihi per otium non licet. Hoc autem à te tantum peto, ut paucorum dierum, quibus forum & respublica nos distinebunt, silentium

Silentium nostrum æquo animo feras. Nam quòd ad binas tuas literas nibildum responderim, prorsus aliud cause nihil est, quām quod literis tuis uisus es suspicari. Sic enim mihi bene sit, ut ego nostram amicitiam tam honestis rationibus conciliatam nolim aliqua uel desidia, uel negligentia mea dissolui. Ut enim non soleo amicitiam levibus causis, neque nisi uirtutis literarumq; societate contrahere, ita semel contractam summa cura atque studio ad extremum perduco, conseruoq; religiose. Quare à te postulo, quantum me amas, uel te iam potius ipse scis à me amari, ut breuissimi temporis usuram mihi condones, non molestus creditor. Qua ratione efficies, ut si posthac in hoc genere debtor sis, non ita grauem me creditorem habeas. Id quidem certe præterquām quòd bona fide tibi spondeo, more etiam ueterum, prædibus & prædijs, si uoles, eo nomine satisfabo. Vale.

VIDVS BRELLAEVS, STEPHANO
DOLETO S.

VIuit qui nuper obierat, Albertus Pius, elegantia certe carminis, quo illius obitum lugens, memoriam eius perennem posteris reliquisti. Itaque princeps omnino ille magnus, aut te laudum suarum præconem, aut alium tui similem habere debuerat. Nec id me putas tuis auribus dare, nam unà mecum ita sentiunt, quibus per me contigit, eos uersus legisse. Nihil est autem, quòd ad dubites illos in publicum proferre, legentur enim, crede mihi, uel Romæ non sine laude tua insigni, atque palam dicetur, quod reges Galli Alberto debebant, eius nomini per te fuisse persolutum. Sed de his satis. Illud moneri te
l 2 patiere,

patiere, ne tuorum scriptorum me posthac Aristarchum nominaueris. Nam cum illam personam in alienis scriptis legendis nunquam indui, tum minime omnium in tuis in- duero. Ego enim cui curæ priuatæ atque publicæ nullum otij tempus relinquunt, hoc solatio utor, ut cum tua, et aliorum præclare scripta interdum legam, et si diffidam eorum laudem assequi posse, ingenij tamen studiosorum faueam. Atque adeo malim scriptorum elegantie futo- rem me præbere, quam quod pleriq; isti faciunt, ea uic- tio uertere, aut aspernari, quæ consequi minime possunt. Quare non possum te, mi Dolete, non adhortari, ut qua uia coepisti, illustre tibi nomen ad posteros pares. Eluget in te ingenij uehementia, quam non ijs natam tem- poribus, sed à Ciceronis antiquorumq; etate deductâ po- steritas arbitrabitur. Me quidem tua laudis prædicatore et defensorem, si non disertum et facundum, assiduum certe, atq; animosum habiturus es. Vale.

JACOBVS BORDINGVS, STEPH.

DOLETO S.

Accepi tuas ad me, et ad Budæum literas. Quis autem ad me dedisti, quæ permagnam habebant amoris erga me tui significationem, dubitare minime des- bes, quin et gratissimæ et iucundissimæ mibi sint uise. Quod tu etiam de reconciliata nostra gratia scribis, liben- ter equidem legi, sed utinam ea, mi dolete, nunquam fu- set immutata, tuq;, ut iam cooperas perpetuo me amasse, neque tam leuibus maleuolorum quorundam hominum sermonibus, quam bonorum uirorum, quiq; meum et ingenium et eximum erga te studium magis norant, tes- timonij

stimonijs credidisses : nihil certe opus fuisset reconciliatore Pino, cuius ego autoritate in alia quavis causa potius quam in hac uti maluissem. Sed hoc siue fortuna, siue sinistro meo aliquo fato factum est, sic tecum cogitare libet, amantium irae, amoris redintegratio est. Gaudeo me tuis literis fuisse prouocatum, ut uicissim ex meis meum in te animum possis cognoscere. Ego quidem, mihi Dolete, ex quo te noui, te et amo, et me abs te amari credidi, semper te plurimi feci, tibique tantum tribui, quantum me tribuisse nunquam poenitebit. Si uoluntatem species, fateberis me tui fuisse amantisssimum, si officium, nihil a me dictum, aut commissum memini, quod esset contra rem, uel existimationem tuam. Hoc meum de te iudicium nequaquam tibi ignotum esse uolui, ut habeas perpetuum amoris erga te mei testimonium, et intelligas quam sint uana locuti, qui te mihi immutare conati sunt. Itaque quod in extremis tuis literis scribis, me a te unice amari, id ego ita accipio, ut tibi nihil concedam, neque is sim, qui abs te amore, studio, aut ullo officij genere me patiar superari : quod si tamen fieri posse putas, agedum, reliquum nunc nobis sit hoc amoris et benevolentiae certamen, uter amando plus possit, experiamur, quod si te conari intellexero, hoc, mihi crede, nihil iucundius, aut optatius euueniet. Sed quoniam tibi me satis perspectum puto, tecum ita iam confirmatum spero, ut longiore oratione confirmandus non sis, superest ut tibi etiam gratuler istud oratorium munus, quo nunc es defunctus, tam feliciter tibi euuenisse. Non dubito quin omnia adeptus sis, que in eo genere

sunt laudis & glorie præmia: maluissim omnia præ
sens spectasse & audisse, facilius tamen feram ea uolu-
ptate & spectaculo caruisse, si mihi tandem illa legere
contigerit, id quod futurum spero, fretus pollicitatione
tua. Quare quod mihi munus promisiſti, scito à me
uehementer expectari. Tu uide, ne & promiſi fidem,
& amici expectationem fallas. Budæo literas tuas redi-
didi, quas ille libentissime legit, statimq; percunctari
coepit, ubi eſſes, quid ageres, & cum quo: tandem ro-
ganti mihi nunquid ad te uellet, responsurum ſe rece-
pit, idq; ſe facturum, poſtea rursus à me conuentus
affirmauit. Sed cauſabatur, quòd tum occupatior eſſet,
& ad literas ſcribendas pigrior, ſimul quòd hæc res
accelerationem non poſtularet. Ego ſaepē hominem com-
monefaciam, urgebo, efficiam ſaltem, ne tu fruſtra ſcri-
piffe uidearis. Quod à me petis, ut nunc familiarius
de rebus meis, de eloquentiæ professoribus, de litera-
rum ſtuſ ad te ſcribam. Literæ nondum ſuis calum-
niatoribus carent. Sunt adhuc qui clamitent, eas eſſe er-
rorum uniuersorum fontes, & que impediant bonos
eſſe ſophistas. Iſtorum ſtultitiæ etiam affentiuntur non-
nulli, qui cum imperio ſunt. Nuper reſtitutus fuit Be-
da, ſed eius tempeſtatis initium paulo ante ſenferamus.
Ioannes Copus nondum dictatura ſua finita, ab urbe
coactus eſt proſugere, niſi ex uinculis cauſam dicere
maluifet. Mox ſaue & aſperē cum plerisque actum
eſt, quos ſingularis & probitas & eruditio commen-
dabat: iij adhuc carcere premuntur; nec ullum exem-
plum publice editum eſt. quod dominante Beda expe-
ctamus.

etiamus. Ad professores literarum quod attinet, mihi paucos audire licuit, neque ita facile est de singulis iudicare. Magna omnium expectatio est de Italo nescio quo, quem tibi arbitror in Italia fuisse notum. Nam non ita pridem illinc regis docendi causa hic aduenit. Pollicetur homini rudi intra trimestre linguae utriusque cognitionem, expeditamq; de re quauis dicendi ac scribendi facultatem. Regi hic amphitheatrum ædificat ad designanda memoriae loca. Obrectatoribus suis, & ijs qui id fieri posse negant, dialogum sribit, quo rationem suam, celato tamen mysterio conatur probare. Venetijs, ut hic ab Italjs quibusdam accepi, excluduntur commentarij Ciceronianæ locutionis, Marij Nizolij opus, ilius amphitheatro non disimile, qui omnem eloquentie rationem uelut nidulis coarctat. Tu si alterum aut utrumque nosti, quid ab ijs sperare possimus, primis, quæso, literis ad nos perscribe. Ego alias ad te plura, nunc il lud à te peto, ut me ames, & Pino, per quem tu mihi es restitutus, diligenter commendes, eiusq; mihi benevolentiam conserues & tueare. Erit hoc tibi facile, qui plurimum apud illum gratia ualeas & possis. Vale. Lutetiae,
vii. Calend. Febr.

G V I L I E L M V S B V D A E V S, STEPH.
DOLETO S.

Tertia iam hac hebdomade expectationem tuam frustror, ut ex literis tuis coniicio, nonnihil gestientis in scribendo animi p̄ se ferentibus. Quo fieri potuit, ut, nisi vir bonus esse, & uideri cuperem, die ut longiusculle

cule repetita, has meas subscriberem : quanquam rursus
 doli mali ab illo tuo amico conuinci possem, qui mihi tuas
 reddidit, illisq; ut responderem, instituit. Accedit ad pro-
 crastinationis exaggerationem, quod eas ipsas literas in
 loco conspicuo cellæ commentatoriæ posueram, ut me scri-
 bendi identidem admonerent. Ita tuam epistolam, ne obli-
 uio surreperet, appellatricem habere quotidianam tam
 diu sustinui, operæq; tam paruæ exactricem. Id quod ne
 tu succensere mihi insistas, contemptionemq; tui existimare,
 per me licet, ut ipsum mihi uitio uertas quoquomodo
 expiabili, modò ut aliud quiduis potius, quam fastidium
 interpreteris. Translationis criminis tibi largam faculta-
 tem permitto. Fac esse, si libet, desidiam, fac inertiam sue-
 pinam, denique, quo nihil potest tibi in mentem uenire
 fœdus, fac literarum incuriam. Malim autem in opinio-
 nem me uenire literarum incuriæ, quam hominum lite-
 ratorum. Principio ut noris qualis sim, hoc te scire oportet,
 nullum genus uacationis mihi gratius fere esse,
 quam literarum scribendarum, duntaxat domu agenti,
 & aut lectioni, aut commentatiōni dedito. Quare qui
 morem meum nouerunt, & me literis laceſſunt, cum
 in me hoc officium magnopere desiderent, non ideo
 tamen mecum expositulant, præsertim hoc tempore,
 hac ætate, hac œconomica ratione procuranda. Certe
 ut publicam functionem prætermittam, quantum nubi
 succisiui lixamenti superesse censes, quod id genus
 scriptiōnibus iure tributum est? Quæ cum ipse lusio-
 num similes sint, hilaritatem utique iuuencem, &
 stili lasciuiam postulant. Quid si illud addidero, non
 eundem

eundem iam me esse, qui pridem & olim fui? Nam ut philologicæ diu mihi comuti, contubernali, concubinæ, & omni genere necessitudinis deuincta nuntium non remiserim, amoris tamen insani vincula laxare coactus sum, consuetudinisq; exitialis corpori, retinacula longe liberriora habere. Quod tu mihi in eleganti & terfa epistola tua operam, studium, curam, defers officiosè, & ingenuè, id uero gratum mihi, atque iucundum, perinquam gratum fuit, ut debuit, uelimq; ut existimes, eo me animo erga te esse, ut pares officij uices refundere tibi statuerim, ad eundemq; modum benignitatis egregiæq; uoluntatis atq; obsequiosæ, idq; sine uaniloquentiæ fuso: tametsi doctrinam tuam ex literis tuis suspicari & iudicare, non etiam institutum uitæ, & conditionem cognoscere potui. Vale, & quod à me contendisse literis tuis uidere, ut amicorum meorum numero te adscribam, huius epistolæ fide abstulisse te tibimet ipse sine cunctatione sponde. Parisijs, nono Cal. Febr.

I A C O B V S B O R D I N G V S , S T E P H .

D O L E T O S .

TANTUM discesserat à me tabellarius, cui meas literas dederam, cum hæc mihi ad te à Budæo darentur. Quod ille à me non fuisset factus certior, id erat cause, quod hominem tam crebro interpellare non audebam. Nam non ita multo ante conueneram, cum sc̄e non scripisse, sed scripturum certò diceret. Præterea mihi ualde iam tum occupato, adire ad eum non erat facile. Vno enim tempore ad te, & alios multos erat mihi scribendum. Quæ sit iam Budæi de te existimatio, quæ proximo
l s congressu

congressu ab illo de tua eloquentia, & doctrina audiuerim, scribere nunc non possum, & ego malo te omnia ex ipsius epistola cognoscere. Vale. Lutetie ij. Cal. Febr.

JACOBVS BORDINGVS, STEPH.

DOLETO S.

Eodem exemplo duas à te epistolás accepi. Nam in utraq; charta scriptionem reperi eandem. Probe quidem fecisti, qui quod uerbis coram receperas, re praestiteris. Sed illud ualde miror, cur potius bis pauca, quam semel multa scribere malueris, & mecum exemplarium magis, quam argumenti copia ludere. Mirum est te tam tui esse dissimilem, ut cum alioqui Ciceronis flumina & ubertatem sequaris, nunc, quia ad me scribis, omnino uolueris Laconica breuitate uti: quanquam nec illud quidem facias. Nam si Laconismi uim tenes, nihil aliud est, quam paucis uerbis multas res complecti: tua uero epistola adeo nihil habet rerum, ut mihi aliunde argumentum ducendum relinquas, quo hæc nostra scribendi uicissitudo constet. Multum, mihi crede, me fecellisti, mihi Dolete. Nam dum te priorem scribere uolebam, sperabam texenti mihi telam à te suppeditatum iri, teq; si quid scribere uelles, latius id multo copiosiusq; facturum. Nunc nescio, cur apud me disimulas, ita succinete, ac ueluti punctis quibusdam, quæ scribis, proponis, ut nullam uicissim præbeant scribendi materiam. Hæc ut amice, ita liberius à me dicta sunt eò, ne tu in posterum mihi hac arte imponas. Quod ad me porro attinet, quid animu haberem, uerbis nuper declarauī. De constantia & assiduitate, nihil est, quod dubites. Sed si ad hoc pulcherrimum certamen, quod tecum suscepimus,

suscepit, pares uires nequeam adferre, emitur saltem, ne uel studio, uel contentione unquam uidetur superari. Egregij aduersarij uirtus, quæ dimicatueros plerumq; solet perterrefacere, mihi etiam animum addit, perinde atq; Acheloo cum Hercule congressuro: cuius hic est uersiculus, Non tam unici turpe, quam contendisse decorum. Tu autem si modo ex pactis stare, ex amicitiae fidem seruare decreuisti, aduigila, ut uicissim pari non dico uirtute, sed diligenzia, in præsens negotium incumbas, et si antagonistam robore ac lacertis imbecilliores nactus sis, caue hinc fias remissior, aut quicquam de contentione alacritateq; quam nuper uisus es ostendere, diminuas. Vale.

JACOBVS BORDINGVS, STEPH.

DOLETO S.

Literæ tuæ tametsi alioqui ex iucundissimæ et optatissimæ, hoc certe nomine mihi fuere permolestæ, quod in ijs te ita commotum ostenderis, ut de anuicitia propemodum actum esse uideretur, atque obiurgationem ita temperaris, ut grauiora etiam fueris dicturus, nisi pudor et modestia cohibuissent. Ego profecto amicum in te animum semper agnoui. Cæterum hæc noua neque minus iniqua de me existimatio, quam ex epistola ex uultu refers, initio quidem uehementer me habuit perturbatum, postea uero, dum aliud ex alio cogito, in multas uariasq; sollicitudines cõiecit, ita ut uixdum adhuc queam decernere, quid tibi in mentem uenerit, ut epistolam nostram simplici quodam germanoq; candore conscriptam, tam sinistre detorqueres, ut in ea scilicet ingenij suauitate constantiamq; à me desiderares, utpote qui pluris faciam

ciam orationis copiam literarumq; ubertatem (sic enim scribis) quām mutui amoris coniunctionem. Quasi uero amorem illico abieciisset, qui amice hortatur, ut id quod facias, perpetuo facias, idq; etiam cumulatius & prolixius. Is nanq; est stilus scriptorum tuorum, ut his libenter acquiescam, atque ita impense delecter, ut nulla unquam me capere possit satietas. Et cum nihil aliud sit epistola, quām liberum ac dulce cum amico colloquium, maximum amoris argumentum esse puto, longo amici colloquio uelle frui. Sed quid ago, cum quod ego candoris ac benevolentiae esse arbitrabar, tu ingenij leuitatem, & stomachum etiam (si dijs placet) interpreteris? At si tu istud ex animo dicis, mi Dolete, parum profecto me nosti, totoq; erras cœlo. Ego qui mihi bene sum conscius, atque à stomachandi consuetudine alienissimus, nihil unquam memini scribere, quod uel uulgarem amicum, nedum te, potuisse offendere. Tu quoq; si epistolam probe excutias, atque in ea diligenter animum nostrum contempleris, nihil credo, reperies, quod non à candido quodam pectore, ac nihil minus, quām stomacho possit uideri profectum. Nisi forte stomachi uitium fuisse dicas, quod tecum de epistole laconissimo uisus sim expostulatione uti. Hic si quid erratum est, equidem malo culpam agnoscere, quam tecum diutius altercando pertinacius quicquam excusare. Vnum tamen intelligas ueli..., ut peccatum sit, imprudentia, non improbitate esse peccatum, neque enim ulla uel prouocandi, uel calumniandi libidine scripti quicquam. Id namq; facere me modestia mea indignum, & prorsus ab amicitia alienum semper duxi. Tantum quod scribenti mihi pri-

mum

mum occurrit, subito ac tumultuarie epistole inferui.
Quocirca ut quid uel liberius, uel incautius mihi nec co-
gitanti exciderit, tua humanitas, meus erga te amor, tum
mutua benevolentia efficiet, ut eandem mihi ueniam decer-
nas, quam in re simili facile tibi tribuerem. Nam ut iudicis
officium sit, acrius seueriusq; in uitia animaduertere, ami-
cum decet, non ita rigide censorem agere, sed ad delicta
etiam subinde conniuere. Libertate apud amicum multa
facimus, non facturi, si cum alio res esset: non idcirco con-
uenit statim pro re quauis à sanctissimo fœdere resilire.
Sed uides quò euaserim, mì Dolete, quàm anxie, uarieq;
sim affectus. Proinde si nihil aliud est, quod te cruciet,
quàm epistole ille scrupulus, non est, quod amplius de-
abijciendo scribendi consilio, deq; altius figendis aculeis
cogites. Arctior sanè esse debet amicitia nostra tam pul-
chris auspicijs inita, quàm quæ ob res tam leueis tam im-
mature debeat diſsolui, huic ego fouende nūquam deero.
Tu quo sis animo & quantum apud te gratia ualeam, si
minus literis, saltem aliquo fac indicio ostendas. Nihil iam
statueram ad te scribere, nisi hoc compulisset, ut falsam si
quam de me concepisses opinionem, eruerem priusquam
altius radices ageret. Vale.

STEPHANO DOLETO.

TE uinctum esse grauiſſime doleo, scio enim quan-
tum molestiarum carcer afferat, neque ignarus sum
iſtorum malorum. Verum tu hæc omnia feres æquo ani-
mo. Atque uti uirum fortem decet, quicquid sine culpa
tibi acciderit, id deputabis in lucro. Hoc tempore commu-
nis est hæc calanitas omnium bonorum, ut nihil magis
nunc

nunc bonis optandum sit, quam uitam cum morte commutare. De meo in te animo nihil est, quod dubites. Ego que ad tuam salutem pertinere arbitrabor, omnia diligenter curabo, faciamque ut intelligas tuo amore nihil mihi in hac uita iucundius. Tu interim uirum te praebet, curaque ut ualeas, et quid a me agi, aut curari uelis, scribe: dabitus sane opera, ut id diligenter a me fiat. Vale, x. Cal. Apr.

STEPHANO DOLETO.

Quod ad te nihil adhuc scripseric, nolim mihi adscribas, quando in ea re omni culpa uaco. Neque enim sciebam ubi gentium ageres, et uarius de te rumor ad nos perferebatur, alijs te Lugdunum, alijs Lemouicam profectum esse contendentibus: in tanta rerum tuarum uarietate qui poteram scribere? nunc uero ubi primum ex tuis literis intellexi ubi essem, nihil duxi antiquius, quam tuis literis respondere. In primis gratiata tibi habeo, quod nomen nostrum scriptis illustrare et celebrare uelis tuis. In quare nihil magis uereor, quam ne non digna sit matieres facultate et copia tua. Nam de autoritate testimoniij tui, eloquentia, grauitate, stilo, non est quod dubitem, tali enim te ingenio natura formauit, ut in dicendo nullus sit nostra tempestate, qui te superet, et pauci admodum, qui te aequare possint: quam ego laudem semper duxi maximam, neque ullos unquam fortunatores putavi, ijs, qui se in literis feliciter exercuerunt. Quod cum tibi non mediocriter contigerit, habenda est Deo optimo gratia, qui quas in urbe nostra accepisti iniurias, minime tibi passus esset obtigisse, nisi magno tuo bono atque commodo. Ego aliquando isthac omnia tibi usui fore confido. De rebus nostris

nostris quando hæc quoq; ad te scribi uis , scito te apud multos magnum desiderium tui reliquise , nec paruuus est numerus illorum , qui te diligunt , quiq; te abiisse permissus ferunt , maxime nobilissimæ honestissimæq; matronæ , apud quas non leuem ob illa tua in Drusacum epigrammata iniisti gratiam . Ego , mihi Dolete , si uellem meæ solum uoluntatis rationem habere , nihil sanè tuo discessu accidere posset mihi acerbius , sed cum tuæ rationes aliud postulant , neque te diutius nobiscum esse patientur , non satis uiderer amicitiæ iura didicisse , nisi hanc meam tecum uiuendi consuetudinem tibi remitterem , rationemq; commodorum tuorum in primis haberem . Sequere igitur , quò te res tuæ uocant , fuge ingratas terras , fuge littus auarum . Lugdunum ubi ueneris , saluta meis uerbis Sebastianum Gryphium , quem ego unice amo , charumq; habeo . Cura ut ualeas . Nam cum hæc scriberem , narrauit mihi Clau- sanus tuus , te male habere , quod mihi sanè molestissimum fuit , quòd si mente recte ualeas , et corpore optime ualebis . Venit nuper ex Lutetia nescio quis Omphalius , cum magno eruditio nis nomine , hominem nondum uidi , ubi uidero , ad te scribam feram .

Vale.

Tholosæ , Idibus Iun.



STEPHANI

DOLETI CARMI=

NVM LIBER

PRIMVS.

Tricolon tetrastrophon.

D E S E I P S O.

C A R M E N . I.



Vas Troia pugnas pertulerit diu,
 Et quos Achillis fregerit impetus;
 Hector quot inuasit phalanges,
 Clas̄ica dum fremerent, tubæq;.
 Quid contrâ frendentes Agamemnonis
 Exercitus, cum robore, tum dolo
 Perficerint, ducente Achille,
 Atque dolos fabricante Ulysse.
 Quid bellicosus Cæsar, et Annibal.
 Tentarit atrox, quid'ue Themistocles,
 Quid Roma, toto ut orbe nomen
 Spargeret ipsa suum triumphis.
 Scribat, cui Apollo suppeditat modos
 Tantis pares conatibus, atque cui
 Largitur ad uersus abunde
 Calliopea melos amœnum.
 Aut cui canenti Castalides deæ

Cinxere letæ tempora Pampino,
Iussereq; ut nihil caducum,
Nil ne humile, aut modicum creparet.

Ipse ille ego, cui debili, ad ardua
Montis bicornis culmina peruehi
Non est datum, nec labra fontis
Proluere Aonij liquore.

Vtcung; rauco gutture perstrepo
Et destitutus dulcisona Lyra,
Chordasq; nescius mouere.
Præsto, quod exiguae est Camœnæ.

Impos per altum currere, repo humili,
Non insolenter quicquam operosius
Conans, nec antea Lacerto
Non iterum atque iterum meo aptum.

Vates Homerus carmine scripserit
Mirando, Olympi concilia, & graues
Rixas, Achiuorumq; bella,
Quæ peperit Paridis Libido.

Narrarit alto Vergilius pede,
Teucri propago quæ freta, quas plagas
Traiecit, ut fato iubente
Dardanias renouaret arceis.

Cantarit acri pectore Pindarus,
Plus igne candens undique Pindarus
Seu iungat audax dithyrambos,
Seu canat ore decus deorum.

Mollis Tibullus uersu elegos breui,

Nec non

Nec non iocosos hendecassyllabos
 Tractarit exacte Catullus,
 Lesbia quo bene culta uiuit.

I llinc priores (alter ut altero
 Excellit) assumant sibi iudice
 Fama, ex uelut magni efferantur
 Artis Apollineæ tetrarchæ.

Quid? tu negaris, Zoile, debitam
 Laudem Poëtis inferioribus
 Camœna Homeri altum loquentis,
 Vergilij'ne tuba Canora?

P aruis sua est laus : nec penitus caret
 Fructu laboris, qui tenet ultimum
 Locum inter heroas Minerue,
 Si nequeat proprius reponi.

P ræstat sepulto squallida inertia,
 Qui tantum id ex conamine colligit,
 Ut plus uigil dicatur olim,
 Quam piger, et fugiens laboris.

C ollusimus, quæ si Criticus putat
 Ieiuna, componat Criticus ueru
 Exempta Critici, mihi ipse
 Concino, non Criticis probanda.

Quod si hefferae ore me minus audiant,
 Nec me sciant uatem Ausoniæ schole,
 Testabitur tamen Poëtam
 Gallia chara suum Doletum.

Hendecassyllabi.

A D M V S A S.

C A R M E N II.

Musæ, sacra cohors, cohors beata,
 Cœlorum altitonantium alma proles,
Quæ doctos niueo sinu fouetis,
 Per quas arte coli licet, quibusq;
 Inuitis nihil assequatur ullus:
 Huc conferte pedem sacræ sorores.
 Musæ, sacra cohors, cohors beata,
 Optanti mihi ferte opem rogatæ.

Non iam uos pigeat uarentis Hemis
 Saltus, aut Aganippidi amnis undas,
 Rupis ue Aoniæ specus latentes
 Nostra linguere flagitatione:
 Vestri me comitem iuuate coetus,
 Vestræ me socium artis adiuuate,
 Et cinctum bene Laureis corollis,
 Fontis castalij irrigate lymphis.
 Ut qua pulcher Apollo uoce cantat,
 Et qua concinitis deo canenti,
 Dum per tempora flaua crine sparso,
 Spectato ordine ducitis choreas,
 Hic nunc carmina non inepta fundam,
 Andino eloquio elegantiora,
 Catulliq; iocis uenustiora.

O, si subsidio redibo uestro
 Auctus plus reliquis honore uictor,

O, quam,

O, quām, Iuppiter, efferam dearum
Nomen Pieridum, decusq; phoebi.
Papē, quām celebrabo diligenter
Parnasi memoranda festa montis.

Huc conferte pedem sacræ sorores,
Musæ, uestra labella mollicella
Roris plena, tenella, delicata,
Nostris horridulis modo admonete,
Vestra ut quo linit ora melle Pytho,
Fauces aridulas meas eodem
Humectet dea nobilis liquore.

Quod si hæc uota minus pudica quisquam
Morosus putat, atque forte ocellos
Vestros hispida barba nostra terret,
Nec uos oris odor iuuat uirilis,
Adspirate tamen sacræ sorores,
Adspirate animo noui poëtæ,
Et uestrum mihi pellat exta numen:
Quod me tam faciet cito disertum,
Quām sum ipse ingenio rudi, atque agresti.

Tricolon tetrastrophon.

A D S Y M O N E M F I=
netium amicum.

C A R M E N III.

N On nos uoluptas, uita uel impia,
Non nos uel indignum studium, aut scelus
Coniunxit, hanc iucundus usus,

m 3 Vfus

*V*sus amicitiam creauit.

*M*ores pares, parq; ingenij uigor.

*A*c uota pulchre conuenientia.

*P*ar uita prorsus nos libentes

*F*œdere perpetuo ligauit.

*S*ic quondam amauit Scipio Lælium,

*H*æsitq; Orestes sic Pyladi suo,

*S*ic Castorem Pollux amisse,

*T*hesea Pyrithousq; fertur.

*N*on tempus ullum, iurgia ue aſpera,

*A*ut rixa diſſoluet, quibus imperat

*V*irtute amor natus celebri,

*M*atrem eadem aſidue fouendus.

*V*itæ timebo perniciem tuæ,

*V*itæ timebis perniciem meæ,

*N*il charius tete ipſo habebo,

*C*harius atque nihil me habebis.

*V*otum saluti ultro faciam tuæ,

*V*otum saluti ultro facies meæ,

*A*eternum ero tibi in medullis,

*T*uq; muhi usque eris in medullis.

*Q*uanuis Gades, uel terra remotior

*I*ncognitum me perferat aduenam,

*A*ctu ultimos uisas Britannos

*P*oſtea, Hyperboreos'ue ſaltus.

*V*otum saluti ultro faciam tuæ,

*V*otum saluti ultro facies meæ,

*A*eternum ero tibi in medullis,

*T*uq; muhi usque eris in medullis.

Diuos rogabo te erigi honoribus
 Diuos rogabis me erigi honoribus,
 Supplex uterque poscet, æcum
 Nestoris affequi utrunque posse.

Dicolon distrophon.

A D F R A N C I S C V M
 Valeſium Regem Gallie.

CARMEN IIII.

F Rancisce non uno quidem, sed omnibus
 Rex digne regnis, qui fit, ut
 Obliuzione liuida Gallorum honos
 Impune carpatur latens?
 Et nocte longa huc usque pressus, lumine
 Caruerit an quod defuit
 Gallis sua olim laus, uel ampli nominis
 Celebritas? an quod mari
 Terraq; non res gesserint perennibus
 Chartis reponendas? nihil
 Tale obstat, ut iungantur astris & polo:
 Nam siue laude uirium,
 Seu marte prospero, uetus secula
 Certent, feremus protinus
 Primas, nec ulla glorie amplitudine
 Cedemus externis locis:
 Sed quando scriptorum elegantium manus
 Vatumq; caruimus sonis,
 Taciturnitas nostris meritis diu obstitit,

Idem superbae Romuli
 Factura proli, ni quod egisset, modo
 Chartae fideles proderent:
 Idem duci factura quondam Punico,
 Et bellico Cæsari,
 Ac forti Achilli, ni quod egisset, modo
 Chartae fideles proderent.
 Sole uetant Musæ mori, et celebrant
 Dignos sacra fama uiros:
 Nec interest, an tu uigil sis, an iners,
 Ut ut'ue uitam transfigas,
 Ni lingua doctorum tenebris te eximat,
 Et posteriorum annalibus
 Mandet, tibi quos spiritus uirtus dedit,
 Quos fregeris, quos uiceris:
 Quare faue musis, easq; amantibus,
 Ut nomen æternent tuum.

Dicolon distrophon.

A D R E G I N A M N A-
 uarræ Margaritam Valeiam.

CARMEN

v.

PROli sue Pallas timens, et anxiè
 Affecta, ne artium rudes
 Vulgusq; iners tractaret illos aspere
 Iniuriaq; lederet,
 Quos ingenio elegantiori nobiles
 Et perpolitos literis

Huc mitt

Huc mitteret doctarum ab antris uirginum,
 Te literatis obtulit,
 Cuius potenti autoritate & gratia
 Tegantur, atque commode
 Et uim imperitae plebis, & diras minas
 Vitent furentium hostium:
 Nil ergo mirum, si receptos in tuam
 Fidem rogatu Palladis
 Doctos, colas, ames, tueare, & libens
 Quibus potes rebus iuues.
 Ira iam iniqui frendeant, ira crepent,
 Laudi id tibi atque glorie
 Dari moleste qui ferunt, & detrahunt,
 Quo clara flores, nomini:
 Mirabitur te, & laude multa posteris
 Mandabit, illustris cohors
 Cohors alumnorum Minerue, cui hactenus
 Praesto fuisti omni loco.

Dicolon distrophon.

A D G V I L I E L M V M
 Budæum.

C A R M E N V I.

B Vdee Galliae decus prestabile,
 Dic, te rogo per liberos
 Charos tibi, & suauis utroq; plus oculo,
 Recte ne Gallum rideam
 Externa sic prorsus stupentem, ut negligat
 m s Quicquid

Quicquid suo gignat sinu,
 Quicquid uel ornati, aut opimi Gallia
 Diues potensq; Gallia
 Et rebus, & uiris, ferat: quid? num uides
 (Quod quidem dici pudet)
 Ut si uel ore bleso apud nos Italus,
 Vel prorsus infans balbutit,
 Hermem putemus nuntium notum poli,
 Interpretemq; numinum,
 Mandata nobis à Ioue alto exponere,
 Apollinisq; uti modis?
 Quod si uel Arpinate erit facundior
 Gallus, uel Attico rhetore,
 Et digna musarum faciat uerba auribus,
 Ac melle longe dulcius
 Loquatur, artem barbarem nisi probe
 Ementiatur, & loquens
 Vtranq; buccam inflat, tumescatq;, & crepet,
 Et ima crescant ilia,
 Suæ iacebit Galliae, ac nullam auferet
 Laudem artis, aut eloquij.

Elegiacum.

I N I T A L V M Q V E N D A M.

C A R M E N V I I .

A Rdua promittis, solo uel mense disertos
 Cum te nos iuras reddere posse uiros,
 Promissum hoc nihil est, nihil est has fundere nugas,
 Est quoq;

Est quoq; nil musas uel superare nouem
 Id tibi cum multis commune est, Gallia centum,
 Qui facile id prætent Gallia mille dabit.
 Ast aliud nosti solus, quo Pallada uincis
 Quicquid & Atlantis scit uafer ille nepos
 Vis dicam? nosti Reges emungere nummis:
 Est id, quo doctum uincere quenq; potes.
 Hos nobis astus tua si documenta recludent,
 Quis tibi pro tantis artibus astra neget?
 Maior eris Phœbo, quod si Iouis aula placebit,
 Tu Ioue depulso Iuppiter altus eris.

Dicolon distrophon.

A D F R A N C I S C U M V A=
 lesum Francisci Valesij regis
 Gallie filium.

CARMEN VIII.

Regis propago, quem manet regnum potens,
 Et uastus orbis expetit
 Sibi imperatorem, meis te uersibus
 Non fortè tanto numine
 Dignis saluto : sed suas quæ nunc tremens
 Exercet alas (ut tener
 Pullus columbae, dum breuem nidum fugit)
 Audax uolabit poste,
 Tecumq; crescit nostra sensim musula:
 Dicet sonoris cantibus
 Quas tu domabis strenue oras prælio,
 Et quæ

Et quæ tropheæ Galliæ,
 Victor triumphato hoste barbaro eriges,
 Dicet quibus terrori eris:
 Virtute macte perge multa gloria
 Nomen tuum diffundere.
 Ego tibi si sentiam probarier
 Nostros labores, & tuo
 Plausu foueri, adnitar æuum ut posterum
 Te ipsum loquatur, & colat.

Dicolon Tetrasphophon.

FELICEM ESSE NOSTRAM
 ætatem propter efflorescentia literarum
 studia, & eandem infelicem pro=
 pter indignorum quorun
 dam hominū odia
 in literarum
 studiosos.

CARMEN IX.

Optanda ò nimium tempora tempora,
 Lugenda ò nimium tempora tempora,
 Pallas diua quibus plus satis emicet,
 Et Pallas quibus algeat.
 Nulla ætas memorat tantam operam datam
 Præclaris studijs, nec magis agnitas
 Arteis ullo atavum tempore, sed deest,
 Nunc regnum studijs suum.
 Meccenasq; deest, qui ingenia excitet
 Et donis

Et donis, ueluti calcare, languidos
Vates exhilarat, ne abijcant onus,
Aut foede iaceant pigri.

Est quod præterea frangat alacrum
Conatus, reuocetq; à studio haud parum
Multos : quo siquidem quisq; erit auctior
Et cultus magis artibus.

Hoc plus inuidia conficias premū:
Grecum si profiteri audeat, heus miser,
Vulgi iudicio proximus hæresi
Dicetur, uel iniquior.

Lugenda heu nimium tempora tempora,
Iam iam impune quibus non licet assequi
Arteis, aut operam impendere literis
Instanti absque periculo.

Iambicum anacræontium.

I N F O R T V N A M.

CARMEN X.

Quo tibi dea atrox pectus
Quo tibi furore candet?
Quas tibi Megæra ex erebo
Vibrat faces? quæ Erinnys
Mouet tibi sic bilem,
Aeterno ut ipsa in doctos
Feraris insana odio?
Illosq; iugi inopia
Premi uelis? et rebus

Modicis

Modicis misellam uitam
 Trahere lupino pastos?
 Monstrum ferox, horrendum:
 Quæ te leæna, tygris' ue
 Sub rupe pauit quondam?
 Quæ Syrtis, aut Scylla uorax,
 Quæ te Charybdis ponto
 Spumante, ceu teturum aliquid
 Expuit ad algam uilem?
 Quod ebur tibi, quæ ue filex,
 Adamas' ue, durus' ue calybs
 Ilia tibi uallauit?
 Ut quos deiq; deæq;
 Omnes ferunt in oculis
 Sacros Minerue uates,
 Tu sola semper quatias
 Frendens, nec ullis unquam
 Ornes bonis dea sæua?
 Superum fidem: olim potuit
 Orpheus lyra, atque arguto
 Plectro mouere manes
 Manes Auerni nigri,
 Sistere quoq; Hebrum, & sylvas
 Ducere canendo, & canibus
 Mixtos gregatim lepores,
 Nec te dea atrox poterit
 Pallas mouere, nec omnis
 Montis chorus Pierij?

Odium

*Odium tam ut omne abijcias,
Quo hactenus acerbe urgeri
Libuit satis superq;
Virtutis aliam sobolem?*

Dicolon distrophon.

I N T H O L O S A M.

CARMEN X I.

Turgete nostri iambi, et excitemini,
Ardentiusq; quam gener
Spretus Lycambem perfidum, conuellite
Probris Tholosam barbaram.
Vos plus ocellis diligam, et uita mea,
Vestro omnia indulgebitis
Vati, si in hoc cito mihi obsequemini:
Præstare iambi, quod rogo.

Dicolon distrophon.

I N T H O L O S A M.

CARMEN X II.

Si quisquam eo furore uiuat percitus,
Vel forte sic abhorreat
A sanitate mentis, ut premi omnibus
Malis uelit, carereq;
Optabili uita statu, sauvam aduolet
Tholosam

Tholosam, & artibus bonis
 Se deditum fingat, Iouem optimum, dolos
 Quos barbari gens oppidi
 Struet, quibus tuos sacer Phoebe opprimat:
 Pium, impium clamabit, &
 Culpa carentem, culpa abundare afferet,
 Insaniam ut suam expleat,
 Ac arbitratu exerceat doctos suo:
 Fortuna quem plena manu
 Bonis bearit, auxeritque copijs,
 Conuicia accusabitur
 Fecisse cœlo, & Christianam spernere
 Persuasionem, quo ut reus
 Pendat miser poenas, & accipitribus
 Sit præda sanè opimior:
 At quos opum uis deficit, uel gratia
 Autoritasque apud duces,
 Tragoediæ, graui affici cernas nota
 Spectaculoque publico:
 Tedam manu ferre, & lacerna turpiter
 Tegi, lacerna propria
 Notæ ijs inurendæ, quibus nocet scelus
 Pallentque mentes crimine:
 Ergo Tholosa literatis tam est parum
 Amica, quam lupus gregi
 Ouium, canisque leporibus, uel igni aqua,
 Pullis uel milui implumbibus.

Monocolor

Monocolon Choriambicum.

IN E A N D E M.

CARMEN XIII.

Quid fulmen' ne tuū Iuppiter, aut dextera candicans
Arceus qua iaculāre, & quatis orbē stupidū metu,
Vrbi parcet iniquae? exitium' ne incuties suis
Dignum flagitijs? irā ne atrox, crimina qua hactenus
Aequè uisus es urgere, resedit placido tibi?
Mentem pone quietam, ac subito æther tonitru fremat,
Absumatq; Tholosam igne uoraci, & cinere obruat.
Non, quos Inarimes mole tegi post tua fulmina
Iuſisti, æquius arſere Typhoëi socij truces,
Nec quos Deucalion Pyrrhaq; confexit in æquore
Mersos, ob scelera immensa, dederunt meritam magis
Pœnā, quam dabit absumpta Tholosa igne sacro ætheris,
Aut æquata solo, mersa' ue sub noctem Erebi caui.

Dicolon distrophon.

IN E A N D E M.

CARMEN X.III.

LAude laborat omnis
Excoli, nomenq; suum posteritatis æuo
Nobile fama honesta
Consecrare adnititur: olim alma fuit potenti
Troia manu, atque bello.
Roma latis imperij finibus. arte multa
Ingeniosæ Athenæ

n

Floruerunt

Floruerunt : Massiliæ laus quoque nata quondam est
Integritate uitæ.

At Tholosæ non eadem sunt studia, aut labores
Posteritatis auras

Aucupandi : nomina qui clara alijs parauit,
Perpetuamq; laudem

Fame amor puræq; secundæq; uelut uenenum
Odit acerbe, & arcit

Nilq; quicquam plus Getica antiquius hercle ducit
Afferitate morum,

Palladis qua omnem sobolem iure suo fatiget:
Urbs nimium finistris

Structa fatis, dignaq; nullo nisi inauspicato
Nomine, quod nepotes

Vocibus diris lacerent, ac misere execrentur.

Tricolon tetrastrophon.

I N D R V S A C V M V V L^e
garem poëtam Tholosanum, qui librum
in fœminas scripsit.

C A R M E N

xv.

P Orcus furens ex lintre Epicurea,
Abdomini uir natus, ubi usque eo

Distenta sensit exta, & aluum,

Vsui ut esse sibi nequirent

A d scorta, mox in fœmineum genus

Ore impudenti feruidus irruit,

Genus profecto, cuius ante

Mancipium

Mancipium fuerat, cum amaret.

Permitte telum nunc puer arcui
Seniq; cano ignem iniice, ut ardeat
Amore, nec quæ extinguat ignem
Foemina sit, nisi poenitentis.

Donecq; abunde laudibus efferat,
Quarum decus tot diminuit probris,
Et labe fœdavit nefanda,
Foeminea minor ipse laude.

Aut si dedisse forte parum hoc modo
Poenam arbitreris tam nihil virum,
Plectatur, ut qui nomen olim
Tyndaridis temere eleuavit:

Iuno simul, tuq; alma Venus, dei
Summi quibus nil non cupide offerunt,
Et sponte donant, si ulla cura
Vos muliebris honoris urget,

Vtricq; coniunx brachia dum implicat
Collo, ex labellis oscula suavia
Figit, frequenti tum rogatu
Numina sacra mouete blande.

Vt, qui genus uestrum impetij procax,
Succedat umbris, quas domus ignea
Orci tegit, sauisq; poenis
Eumenides cruciant cruentæ:

Rostrumq; diræ perferat alitis,
Que carpit immortale iecur Tityi,
Aut Tantali siti prematur,
Tormine uel grauiore si ullum est

D onec superbis laudibus efferat
 Quarum decus tot diminuit probris
 Et labo foedauit nefanda,
 Fœminca minor ipse laude.

Dicolon distrophon.

I N E V N D E M D R V=
 facum naturæ prosopopœia.

CARMEN X VI.

SAt superbis iam scio,
 Quid præbuit causam tibi, ut tam acerbis
 Vocibus genus meum
 Stulte laceffas, fœminasq; tantis
 Obruas supra modum
 Conuitis; quam forte deperibas
 Virginem, aut lupam (ut solent
 Te illæ mage oblectare, quas lupanar
 Spurcum habet) caper tuus
 Caper tuus fugauit euomentem,
 Concitoq; pectore,
 Ut quos odor teter maris repellit:
 Vel mephite territa,
 Putri ore quam exhalas, tibi superbe
 Obsttit, gulamq; acrem,
 Ventremq; distentum, atq; pituitam
 Nare pendulam tua
 Obiecit, & uultum rubore foedo
 Lucidum, simul genas

Lippas,

Lippas, caputq; iandiu sepulchro
 Proximum: hinc tragœdiæ
 Illæ, hinc tragœdiæ repente motæ,
 Fœminæ quibus decus
 Traducis, infamasq; iners poëta.

Dicolon distrophon.

I N E V N D E M.

C A R M E N X V I I.

Mirum est sagacem in omnibus naturam, eo
 Errore lapsam, dum tibi
 Formaret ingens corpus, ut qua oportuit
 Parte esse guttur, podicem
 Locauerit: nam non loqui te quissiam
 Ore arbitretur, sed potius
 Cacare, ita obſcœnè loqui mavis quidem,
 Quàm quo decet castum modo,
 Ac aptiora culo uerba fundere
 Studes, quàm honesto gutturi.

Dicolon tetraſtrophon.

I N E V N D E M D R V S A C V M.

C A R M E N X V I I I.

Si tuum quisquam neget esse prorsus
 Utilem librum, temere loquatur,
 Nempe tergendis natibus peraptus
 Dicitur esse.

Nemo nec iurat piperi tegendo
 Commodum, aut scombris, quibus officine
 Par tuo seruant operi uolumen
 Vno obolo emptum.

Dicolon distrophon.

IN EVNDEM, QVOD
 uxori nuncium remiserit.

CARMEN XIX.

DE te improbè loquuntur, et rectè parum,
 Qui non satis probabili
 Causa remissum nuncium à te prædicant
 Vxori: erat cur nuncium
 Posset remittere, et iugali expellere
 Thoro, nam honestis moribus
 Et castitate nobili, nullo queas
 Hærere pacto fœminæ
 Emersus ex lustris luparum ganeo.
 Quare lupam domi foues,
 Fœdissimumq; scortum, ut hæreas pari,
 Vxore casta posthabita.

Dicolon distrophon.

IN EVNDEM DRVSACVM.

CARMEN XX.

Sed quid camœnam defatigo abs re meam
 Dum tot te iambis obruoſ

Dicam

Dicam semel, quod sentio de te, & breui:

Tanto quidem es scelestior

E' tetricor tetris scelestisq; omnibus,

Quanto est polus terra altior.

Phaleucium.

A M I C I A D S T E P H.

Doletum in eundem Drusacum.

C A R M E N

x x i.

Tergendis natibus tuum libellum
Aptum dixerat optimus poëta
Blanditus tibi credo tunc poëta.
Nam nullus natibus suis Drusace
Dignum iudicat hunc tuum libellum
Injulsum, lacerum, asperum, proteruum,
Incultum, rigidum, parum pudicum
Et duris salebris ineptiorem,
Atque ipsis natibus magis lutosum:
Quare tergere podicem uolentem,
Chartas ut fugiat tuas monemus,
Ni uult surgere foediore culo.

Dicolon distrophon.

I N T O P I N A T I V M

uirum maledicum.

C A R M E N

x x i i.

Non quod non grauiter nubi

Commonis stomachum, ueribus asperis

n 4

Constans

Constans abstineo modo:

*Sed quòd tam nibili es, tamq; parum potens,
Idem ut sit tuus impetus,*

*Ac morsus culicis, fusa Lycambeo
Conatu mea carmina*

*Compesco, tibi ne obsistere censem
Imbelli ualidus nimis:*

*Robustus si elephas, uel leo debilem
Vulpem uiribus obterat,*

*Vel si Pumilum frangat Achillea
Dextra, aut Hectoreæ manus,*

*Quæ laus excipiet tam leue prælium?
Victori ecquod erit decus?*

*Quare ignaue canis perpetuo latra,
Cornu non prius horridum*

*Tollam in te, mihi quām morsibus excites
Bilem, qua tumeat iecur:*

*Non latratus aprum, nec strepitus mouet,
Quantumcunq; crepet nemus,*

*Stantem uulnificus deus nisi læserit:
Quòd si uim placido afferas,*

Instabit rabidus, qui modo conticet.

Tricolon tetrastrophon.

I N D A M P M A R T I N
iudicem Tholosanum.

C A R M E N X X I I I .

N Vllum me scelus in uincula coniici
Poscebat, neq; per compita turpiter

Duci,

Duci, ut qui impius ense
 Patris foderit ilia:
Vel qui diri aliquid criminis improbus
 Admisit, ueluti qui patrios lares
 Auro solicitante
 Furtum prodidit hostibus:
Nulum tale scelus carcere me tegi
 Iuſſit, sed (tua que est barbara mens) uiam
 Omnem exquiris, ut angas
 Prolem nobilem Apollinis.
Mors te communuat ridiculum caput:
 Insani Rabiem pectoris abijce,
 Gnatæ disce tuae ausus
 Et mentem placidam sequi:
Qua mœchos uocat, atque excipit, & suum
 Corpus prostituit, prostibulum elegans,
 Quainquam prostituit se
 Mœchis, rem Veneri sacram:
Quin tu iam potius furcifer eneca,
 Vxor quos tua, dum nox filet undiq;. 202
 Et stertis mero abundans,
 Perfert, ac satiat procos.

Dicolon distrophon.

DE O B I T V C R I S T O
 phori Longolij.

CARMEN XXIIII.

Longolij ò utinam potuiffet lingua docta tantum
 Apud rapacem mortem, acreisq; parcas,
Quan

Quantum olim ualuit dicendo, uoce dum diserta
 Rome ceteras flecteret stupentes:
 Viueret incolumis, nec funere concidisset atro,
 Dignus perenni temporum recursu.
 Sed uiuit, neque morte ulla extinguetur, arce tectus
 Fame mucantis, nominiq; magni.
 Aere perennius exegit monumentum, ad astrā late
 Laus cuius ingens & loquax uolauit
 Quod non annorum series, nec flatus impotentis
 Austri, nec imbres diruent edaces:
 Sydera dum cœlo hærebunt, ac ursa obibit axem,
 Cursuq; tardo per polum meabit,
 Longolio Hesperij, quiq; ortum solis intuentur,
 Omnes uicissim gloriam uouebunt.
 Hinc igitur procui, hinc procul absint nenia sepulchri,
 Luctusq; turpes, quos anus refundunt.

Tricolon tetrastrophon.

AD IOANNEM PINVM.

CARMEN : XXV.

LAudent auari, uel stupeant, quibus
 Tanto bonorum mens studio furit,
 Spreta ut salute peruagentur
 Carpathium Siculumq; pontum,
 A barbarorum Sauromatum plagas,

Vel

*Vel si quid ultra est indica clima,
Ut tandem opum suarum aceruos
Pyramidum tumulis adæquent.*

Laudentur & qui magna palatia
Regum terunt, ut splendidi honoribus
Villant superbe, uel perinde ac
Semudei à rudibus colantur.

Te Pine laudo, quod modicum putas
Magnum, ferasq; id quod munus est, ut id
Quod plus & amplum est: nempe auaros
Non animos satiant bona ampla.

Vitam quietam ducis, & omnibus
Curis solutam, seruida nec tibi
Instat libido honorum opum' ue
Terq; quaterq; beate præful.

Talis decet te uita, boni Dei
Cui ultro dederunt altum animum, & grauem,
Et negligentem sordium orbis,
Quas humiles animu sequuntur:

Non te fugit mox tempora cedere,
Lucem alteram mox trudier altera,
Ac nos uoracem subter orcum
Præcipitare diebus arctis.

Contentius ergo, que superest, age
Vitam, nec angat caniciem senis,
Quæ annis uirentem te nequivit
Solicitare cupido cæca.

Phaleucium.

AD IOANNEM LANGIA=
chum Episcopum.

CARMEN XXVI.

NObis xenia quòd per ampla donas
Ex tantis opibus, quibus fatiscit
Arca ingens, nihilo uidere maior:
Es magnus genere atque mente celsa,
Magnus consilio, bonisq; magnus,
Es magnus quoq; quòd plagas obisti,
Quot quot cingitur orbis ipse uastus,
Afros, Hesperiam, Herculis columnas,
Anfractus Asiæ, ac Scytha feroce,
Et quos Oceanus pater potenti
Ambit margine, terminatq; fluctus,
Transi celeri frequenter alno.

Non qui secula multa uidit olim
Nestor, Dulichius ue dux Vlysses
Annis qui secuit freta alta multis,
Te rerum superarit omnium usu:
Vis dicam: magis hoc uidere magnus,
Quòd te nemo quidem est in orbe maior.

Dicolon distrophon.

IN PETRVM PINACHIVM
Vasconem.

CARMEN XXVII.

CVcurbitarium caput, stipes rudis,
Tam plenus insolentie,

Quām nullius doctrinæ homo, Pinachius,
 Illam sibi primum uiam
 Ad nomen aeternum decusq; fecerat,
 Ut impudenter de artibus
 Quibuslibet ferret suam sententiam,
 Ceu quondam Athenis Gorgias:
 Si forte quisquam uerba de eloquentia
 Fecisset, hic se rhetorem
 Fingebat, et tenere dicendi modos
 Omneis, perinde ac unguium
 Numerum: quid hic queris? stupendo glorie
 Studio perustus, sedulo
 Famam aucupabatur, quibuscunq; Hercule
 Locis licebat: ast ubi
 Nec de eloquentia loqui docte potuit,
 Nec de arte quapiam bene,
 Sententiam mutauit, et cum illi decus,
 Viriq; docti laus, parum
 Succesbit ex uoto, procacis nomine
 Famam perennem quæsijt
 Tandem sibi, illustrarierq; adnixus est
 Vt cunq; turpitudine.

Dicolon Distrophon.

IN EVNDEM PINACHIVM.

CARMEN XXVIII.

Vlgs ridiculum atque iners
 Primas nescio cui grammatico uiro

Dat

Dat, Demostheni ut alteri:

Ipsum illum in manibus sic habet, et fouet,
Sic amplexus lectitur, et colit,

Ad Demosthenis ut fulmina proxime
Adspirasse putent, leui

Multi iudicio: at non mediocriter
Vulgus labitur, hunc quidem

Doctus nemo putat, uel bene noscere
Vim Demosthenis, et patris

Nomen tam egregij, fulmina tantum abeft
Ut Demosthenis assequi,

Dicendi ue modum reddere gnauiter
Posset rusticā bellua:

Quod si accesserit ex parte aliqua ad senem
Nullis sat celebrem modis,

Sanè accedit eo nomine, quod uigil
Tam ipse est, quam pater ille erat,

Et quod noctu oleo non minus utitur:
Vnum illud tamen interest

Horum inter studium, falsaque lumina
Somno, grato oculis Deo:

Quod tantis olei sumptibus alteri
Mirandum eloquij genus

Quæsitum est, modo quo nobilis et nitens
Hæret syderibus Iouis:

In somnis aliis conterit alea
Noctes, et uenere, et gula.

Lucerna utitur ad putide olentia
Scortilla, et ganeæ lupas

Spectandas

*Spectandas proprius : talis eum labor
Exercet uigil hinc uigil.*

*Paſſim fertur, ex ad rhetoris optimi
Laudem accedere dicitur,
Laudem, crede mihi, haud omnibus obuiam.*

Elegiacum.

A D S Y M O N E M V I L L A N O= uanum defunctum.

C A R M E N X X I X .

O Mihi quem probitas, quem uitæ candor amicum
Fecerat, O, stabili foedere iuncte mihi,
O, mihi quem dederat dulcis fortuna sodalem,
O, mihi crudeli morte perempte comes:
Iam ne sopor te æternus habet, tenebraq; profundæ,
Tecum ut nunc frustra carmine moestus agam?
Quod nos cogit amor, surdo tibi forte canemus,
Sed nimij officij non pudet esse reum.
Chare uale, quem plus oculis dileximus unum,
Et iubet, ut mage te semper amemus, amor
Tranquillæ tibi sint noctes, somnusq; quietus,
Perpetuoq; file, perpetuoq; uale.
Et si umbris quicquam est sensus, ne sperne rogantem,
Dilige, perpetuò cui quoq; charus eris.

Dicolon

Dicolon tristrophon.

E I V S D E M E P I T A P H I V M.

C A R M E N X X X .

CVmulate dederant omnia nato
Genitrix rerum hominumq; alma parens, &
 Animos quæ eximè moribus ornat pulchra uirtus,
 Modo qui præpropera morte diem obiuit:
 Rapidis usque adeo annis adolescens
 Merito iure quidem funere non abripiendus.

E I V S D E M P R O S O P O =
 pœia ad lectorem.

S A L V E L E C T O R , E T A N I M V M H V C
 P A V L V M A D V E R T E . Q V O D M I S E =
 R V M M O R T A L E S D V C V N T , F E L I =
 C I S S I M V M C I T O M O R I P V T O .
 Q V A M O B R E M E T M I H I M O R T V O
 M O R T E M G R A T V L A R E , E T Q V E S T V
 A B S T I N E , M O R T E E N I M M O R T A =
 L I S E S S E D E S I I . V A L E , E T M I H I
 Q V I E S C E N T I B E N E P R E C A R E .

Dicolon distrophon.

D E E O D E M .

C A R M E N X X X I .

QVousque tandem expleris atroces mindas,
 Dirumq; plus satis tuum

In nos

In nos furorem, sors supramodum fera?
 Furor ne adhuc deferbuit?
 Num iam quiescit bilis immanis tibi,
 Dum res quatis mortalium
 Vt cunq; uis, durisq; ueras casibus?
 Quod quisque perfert fortiter:
 Nam scimus auferri tuas nobis opes.
 Sed quis ferat, quem non dare
 Potes fidelem amicum eumq; ipsum intimum,
 Tuo eripi iussu, & nece
 Nimis cita ex amplexu amici iam abstrahi?
 Erant, quibus iunctis minus,
 Amantibusq; non ita admodum probe,
 Infligere id damni grauis
 Posset, sed ipsum me tibi uisum est mali
 Tanti ferire iniuria.
 A meq; subduxi uirum, quem me magis
 Amabam, amore non leui
 Ad diligendum adductus, idq; mutuo,
 Sic me premis monstrum ferox?

Iambicum anacreontium.

N O B I L I S A D O L E S C E N T I S
 Petri Anglerij, Epitaphium.

CARMEN XXXII.

REdijt ad ipsum certe
 Illum locum, unde aliquando
 Furtim insalutata alma

o

Matre,

Matrem, & choro pierio
Repserat in hunc imum orbem.
Palladis alumnus charus:
Suo quem abesse amplexus
Diutius gnatum, ægro
Animo tulit diua parens:
Ingemuit omnis etiam
Cohors sororum Aonidum,
Suauia solita non à se
Pueri labellis figi,
Pulchre ubi sedebat
Pytho, & Latina & Græca.

Hoc hercle desiderio
Mota deæ impotenter,
Et, quām satis profecto est,
Studio acriore incensa
Pallas uidendæ prolis,
Abriput hinc rarum olim
Orbis decus futurum:
Quo fit parum ut non dubitem,
Habeam ne gratiam illi,
Que ultro dedit uidere
Numen poli augustum aliquod,
An potius æquum omnino
Videatur, ut procaci
Lingua laceſſi libeat,
Omniq; probro obruiet,
Cuius opera est perfectum,
Virtutis ut tanto opere

Non

*Non sine dolore acerbo
Omnes repente careant.*

Monocolon iambicum hip-
ponacteum.

P E T R I A L L E S T I A D=
uocati facundiſſ. Epitaphium.

C A R M E N X X X I I .

INuidit orbi sors iniqua, morsq; atrox
Quem sidera excepero, non uulgariter
Multa arte doctrinaq; præditum uirum:
Non tot micant ignes quidem certe polo
Causas quot ille dixit, eloquentia
Peritiaq; legum inaudita omnibus.

Sensit cliens persepe, quam esset efficax
Bonusq; patronus, frequentes id rei
Nouere, quos tutatus est, ac criminè
Statim absolutos gratulanti protulit
Affinium cohorti, & expectantibus
Saluum parentem liberis saluum dedit.

Suo tamen functus die est, dira nece
Tandem occidit, cuius diserta lingua tot
Exemit à letho, minisq; iudicum:
Sed nunc, quibus uiuus tulit prompte ille opem
Iam mortuo precamini bene & feliciter.

o 2 Elegiacum.

Elegiacum.

AMICI CVIVS DAM

Epitaphium.

CARMEN

XXXIIII.

QVid uelut extinctum luges, quem funere nullo
 Funere mors nullo mergere dira potest?
 Define fata queri, corpus iam lumine cassum
 Condat humus, lucet fama decusq; uiri
 Lucet honos, nullo mortis uiolabilis ictu,
 Et dubitas luctum ponere? pone precor.
 Liquit inexhaustæ laudis monumenta, uetus fas
 Quæ carie nunquam conficit' ue situ.
 Non simul absumpto pereunt cum corpore, uirtus
 Clara quibus nomen tempus in omne parat.
 Fama loquetur anus, celebri quām nomine uixit,
 Qua uirtute fuit, fama loquetur anus.
 Iuris amor, mens pura doli, mens nescia culpæ,
 Laude effulgebit perpetuoq; sua
 Orbis tecta diu coluit, nunc lucida diuūm
 Regna, uiris claris debita regna tenet.
 Iuppiter hunc terris inuidit iniquus honorem,
 Hac uoluit tandem luce micare polum.
 Hoc comite exultant diui, et lætantur ouantes,
 Hocq; diu socio se caruisse dolent.

Tricolon

Tricolon tetrastrophon.

I O A N N I S A N D R O A D O^s
lescentis nobilissimi, Epitaphium.

CARMEN XXXV.

CVi forma erat tam pulchra, quam Apollini est,
C Fuitq; quondam Dardanio proco,
Cui sic decenti erant colore
Labra, rosis rubor ut uenustus:
C ui Pallas, artis quicquid habet, manus
Non parciori contulit, aut minus
Libenter & prolixe, ea ullum
Quam coluit cupide poëtam.
Mortis peremptus legibus occidit,
Exaruit flos tam tener & decens,
Nec forma atrox fatum genis ue
Purpureis potuit moueri,
Diem ut uel unum, aut alterum, ei adderet
Ad certa mortis tempora proxime:
Iacet sepultum corpus, antehac
Tam egregium, lepidum, elegansq;
Hinc euolauit spiritus ocior,
Vnde ante ad ima haec præcipitauerat:
Seruat polus suum, tueri
Quem nequijt putris ipsa tellus.

D O L E T I C A R M.
 E I V S D E M P R O S O
popœia ad lectorem.

DESINE LECTOR VEHEMENTIVS
 QVERI, SPECTATAM FORMAM, VAM
 LIDOS LACERTOS, ET, QVAE MIHI
 OMNIA NATVRA NON ITA PRIDEM
 COMMODOATO DEDERAT, EIVSDEM
 IVSSV PRAEMATVRE SVBLATA. RE=
 PETIT ENIM QVISQVE IVRE QVI=DE M,
 QVOD SVVM EST. VALE, ET
 DORMIENTI MIHI NE OBSTREPE.

Phaleucium.

A L B E R T I P I I C A R P O=
rum principis, Epitaphium.

C A R M E N X X X V I .

M Ersit funere mors nimis prophana,
 Mors damnoſa nimis uirum interemit,
 Aeternum decus omnium uirorum:
 Cui quid præripuere laudis illa
 Illa antiqua patrum superba secla
 Tot belli ducibus, uirisq; doctis?
 Aut quid nostra quidem negarit ætas?
 Quod si forte stupeas, minus'ue credis,
 Id tu plus stupeas, negesq; prorsus,
 Hunc & Marti operam dedisse semper,
 Et musis studium negasse nunquam:

Vt nullum

Vt nullum arte parem huic putet Minerua,
Nec Mars laudibus anteponat ullum:

Qua morum integritate uixit, omnis
Quam purus uitij, ore quam modesto:

O', quo robore pertulit finistros
Casus, quo subiit pericla uita:

Quem ne Galle minus tuo remotum
Aspectu memores, et ipse iusto
Complectaris amore, scito causa
Neglexisse tua, quibus bearat
Fortuna hunc aliquando rebus amplis:

Sed quod non tibi sit graue, aut molestum,
Pro tantis studijs, quibus per orbem
Gallorum cupiit decus uagari,
Morti, qua cecidit, precare mortem.
Et uotis onera polum, ut labores
Post tot, tantaq; damna, totq; curas
Cœlo tandem aliquando conquiescat
Posuit amicus.

Monocolon iambicum hipponacteum.

J A C O B I P I N I, E P I T A P H.

C A R M E N XXXVII.

L Atet sub huius marmoris breui cauo,
Cuius decus nomenq; multum nobile
Vix coepit olim uastus orbis, aut fretum:

Nunc corpus, ut par est, tegit pridem putre

o 4 Tellus,

Tellus, at ut cum maxime, huius mortui
 Laus famaq; elucet, uolatq; nobilis
 A solis ortu longe ad Hesperos agros,
 Cessura nulli edacitati temporum.

Is ipse certe est, quo acrius nemo scelus
 Peius ue prorsus odit, et quo ornatior
 Virtute nemo erat, magis ue omnino amans
 Vitae integræ et probæ: quod unum, illum usq; eo
 Euxit, ut multis honoribus potens
 Vitam egerit, cum prospere, tum splendide.

O' quo labore et diligentia diu
 Adiuuit hic domi, et foris rempublicam.

O' que simul mandata regis Galici
 Exhausit, haud sine obstupenda gloria:

Quot sepe militum cohortes sub suis
 Duxit maniplis, quotq; clade barbaras
 Turmas humi stravit, ducis fungens uice?
 Quotq; hostium arces diruit saeuo impetu?

Testetur hoc, qui cessit huic fractus Ligur,
 Dicatq; quanto robore arma exercuit:

Domi quibus prospexit, aetheri preces
 Fundant, ut accumbat poli alti heroibus.

Dicolon distrophon.

DE CIVIS DAM OBITV.

CARMEN XXXVIII.

IAm nihil est, qd' mergi erebi quisquā horreat tenebris,
 Vt cunq; uitam duxerit nocentem,

Fecerit

Fecerit ex cœlo conuicia, nulliusq; culpe
 Sit purus : orci nempe nox profunda
 Quandam hominis pestem obtexit modo , quem quidem,
 ut peræquum est,
 Sanctæq; leges, iusq; iure poscit,
 Dum torquent stygij manes cruciatibus uicißim,
 Vmbræ quiescunt cæteræ, flagello
 Nec quenquā Eumenides quatūt : nā prorsus occupatas
 Multumq; fessas detinet scelesti
 Et scelus, ex crimen face nulla quālibet flagrante
 Tandem expiadum : nunc quibus reatu
 Corq; , animusq; tremens pallet, secura adite fronte
 Plutonis antrum, uosq; per uagantes
 Immiscete umbras, orcus dum totus obstupescit
 Ac intuetur tam nouis ex amplis
 Criminibus monstrum differtum : elato adite uultu
 Plutonis antrum, uosq; per uagantes
 Immiscete umbras, orcus dum totus obstupescit:
 Dies abibunt, interimq; tempus
 Cedet, ex umbris mox aduestis qui preest notandis,
 Oblitus illuc qua appulisti hora,
 Nomina uestra recensere addubitabit illis,
 Reos auerni qui suo arbitratu,
 Aut leuiori poena plectunt, aut acerbiore,
 Vt crimen atrox postulat, iubetq;

Dicolon distrophon.

DE EODEM AD
Charontem.

CARMEN XXXIX.

Cymbam quære nouam senex,
 Non qua tu hactenus umbras tenui rate
 Vexisti, facile feres,
 Quæ nudata graui corpore, te modo
 Ad ripas anima euocat:
 Tanto crimibus mehercule onustior,
 Quanto aër leuior solo est.
 Cymbam quære nouam squallide portitor,
 Heu ne fide tuæ charon:
 Merget, crede nubi, uel media styge
 Te, nec non animam grauem
 Et pressam nimio pondere criminum
 Quam si forte Ioui nigro
 Sistas in columnem, ò te quater, ac quater
 Felicem: tibi tam uberes
 Fructus non peperit iure tuo datum
 Naulum, quam ampla tibi Deus
 Orci dona libens pro hac anima dabit.

Scazon, siue iambicum hippoactium.

EIVSDEM EPITAPH.

CARMEN XL.

Cvius cupiditatem bonorum extinguere
 Bona nulla poterant, mors quidem extinxit fexox:
 Illum

Illum quoq; expleuit, quem honores antea
 Explere nulli, adeo nec ipse orbis satis
 Fuit, nec omnes sumi honorum, cui breue
 Satis est modo sepulchrum, et ossa tegens lapis.

S T E P H A N I
 DOLETI CARM I=
 N V M L I B E R
 S E C V N D V S.

Hendecasyllabi.

AD IOANNEM BOYSSONEVM.

CARMEN I.

Non quod nostra tibi uelut negata,
 Nostra haec carmina tamdiu negauit:
 Sed que latto animo mihi sorores
 Dant sacrae, male terfa saepe scripta,
 Non abs re pudet, ut uenusta, promi.

Mecum multa solutius iocatur,
 Colluditq; Heliconis alma turba
 Paulo liberius suo cum alumno,
 Que non ipsa uelit, simulq; nolim
 Emanare uelut stupenda quædam.

Id, ne mox precibus tuis putarem
 Parensum, obstitit acriter diuq;
 Verum dum memini meas amico

Nugas

Nugas mittere, gnauiter pudoris
Fines transfilij timore nullo.

Nam næuos in amico amicus ultro
Nullos non probat, ac deosculatur:
Laudabis, quæ alienus improbaret,
Admittes, quæ obelis notaret alter:
Versus, quos nihil extimet seuerus,
Tu uel Vergili pares camœnæ
Credes: præ me etiam tibi Catullus
Peligniq; poëtæ amoena musa,
Et quot quot tulit ipsa Pallas olim,
Frigebunt. ita cæca uis amoris,
Nil non, cui studet, impudenter addit.

Sed tu per tuum, & utriusq; amorem,
Nugas hasce meas amore tantum
Complectare, nec efferas inani
Opus laude, rude, & modò inchoatum:
Ne, qui hæc iudicio acriore posthac,
Emendare uolet, tibi parum æquus,
Sitq; asper nimium, mihi dum inurat
Labem, & censeat omnibus minorem,
Quem tu carmine docto & eleganti
Maiorem omnibus esse ubique certas.

Monocolon choriambicum.

A D E V N D E M.

C A R M E N I I .

D Octos nemo stupet tā esse Tholosæ acri odio, canes
Quām sunt tū lepori, tū lupus agnis: siquidē pbat
Miraturq;

Miraturq; libens quisq; quod antehac bene nouerit:
 Captus lumine, Zeusim, uel Apellis Venerem, aut opus
 Rarum quoddam aliud, uel nihili, uel minimi extimet:
 Nec sane id mage mirum, quam asinis barbiton, et lyrā
 Sordere, apposito ad rustica tantum et tribulos gregi:
 Verum plus reliquis hoc stupeam, ex urbe rudi artium
 Te tandem exilijisse, usque adeo barbariae asperum,
 Ac, quas peius et angue, et cane uitat rufis urbs tua,
 Te nil charius amplecti et amare artibus omnibus:
Quare quo pede cepisti iter hoc confice strenue,
 Ut qui te manet aeternus honos, te excipiat breui,
 Et fructus capias ex studijs, quos parit hic labor.
 Nec frangant animum, consilium ue excutiant tibi,
 Vulgi ridiculi et plebis inepta strepitus leues.
 Fert cautes facile uim maris, et fluctibus integra
 Obstet, quamlibet et spumet, et undæ tumidæ fremant:
Quæ sex quadam hominū mente carent, egregie scyphis
 Exhaustis maledicet tibi, ride, neque contrahe
 Frontem, libera curis, grauioriq; molestia
 Sit semper tibi mens, teq; modo orna bene literis,
 Fac, quem penè tenes celsi Heliconis quoq; uerticem
 Iam cernas propius: fide labori, ex animo id cadet,
 Gaudebuntq; deæ Castalides te celebri choro
 Vatum laurigerorum adjicier, tum uiolis nouum
 Sparget quæq; Poëtam, et uarijs cantibus efferet.

Dicolon

Dicolon distrophon.

DIFFICILEM ESSE GLORIAE

custodiam, ac fortunam insidiatum uenire dum

nimium ad blanditur.

CARMEN

III.

F Vere Troes, Iliumq; altum fuit,
 Fuit superba Gracia:
 Vi armisq; quondam Roma cunctos terruit,
 Et quot quot aurea coma
 Titan suis illustrat oras ignibus,
 Subegit illa patruo
 Fauente Marte sed nec id mars prestitit
 Nepotibus, nec Ilio
 Sic adfuit Venus suo, ut contrarij
 Vi numinis non protinus
 Sit Roma, magnum & Ilium pessum datum:
 Troiae libido adulteri
 Ferrumq; flammarumq; adullit, qua corruit.
 Romam domesticus furor,
 Ac impotentes ciuium discordiae
 Struere pugnis tristibus.
 Sic nescio quo uel sinistro sydere,
 Vel (quam deam stulti locant
 Coelo) iubente ac imperante numine
 Sortis, manet nihil diu
 Felix, uel integrum sua potentia,
 Et gloria, qua floruit

Primum

Primum : uenitq; usū ferè, ut quo charius
 Iucundiusq; amplectitur
 Fortuna quenquam à primo, eò crudelius
 (Si quando uultum obuerterit)
 Illum prematq; exerceatq; incommodis,
 Durisq; ueriset casibus.
 Quò Cæsaris uictorias ? quo Pompeij
 Bella & triumphos ? quo ducis
 Lufci uel ausus, uel secunda prælia?
 Quò Aeschinis artem rhetoris,
 Demosthenisq; fulmen, & linguae decus?
 Quò Tullij eloquentiam
 Fortuna perduxit ? reseruauitq; atrox,
 Ecquem dedit famæ exitum?
 Similis sui semper, dea inconstans, quibus
 Ulra modum leui pede
 Concesserat, quò poscerent, mox erigi,
 Concußit inclementius,
 Et tandem acerbo fato, & indigna nece
 Permisit illos opprimi.
 Nunc fide fortunæ miser, qui suspicis
 Colisq; tanquam altum Iouem
 Fortunam, & illi numen adscribis sacrum,
 Nec non preces offers gemens,
 Si quid uel horres, deprecaris' ue, aut petis
 Res ut tue fluant tibi
 Ex uoto & optato : deæ tue medium
 Ostendet unguem, uel laqueum

Mandabit

Mandabit, in se omnia omnino qui habet,
Et mente sana est præditus.

Tricolon tetrastrophon.

E X P E T E N D A M E S S E
mortem.

CARMEN I I I I .

CVm morte uitam quis nisi planè iners,
Et mente nulla, uel stupidum pecus
Mutare nolit? quis leuari
Corpore, quis miserum arbitretur?
An usque eo insanimus, ut opprimi
Semper uelinus carcere squallido?
Aut, ut carina austro furente,
Hic uarijs subigi procellis?
Heu heu nimis ridendum hominum genus:
Quid non mali adfert posterior dies?
Quid non molestiæ, ac acerbae
Solicitudinis undiq; addit?
Cuiquam benignus Iuppiter omnia
Concedat: ut uult, res cupido fluant,
Quem porro titillat uoluptas,
Mollibus illecebris liquefacat.
Eccui tamen tum fors sua non graui
Fastidio sit? peruigiles trahit
Noctes auarus, huic recursat
Immoderata libido semper.
Sed nec uoluptas mollicie sua

Plus

*Plus grata primo est, plus quoque blandiens,
Quam noxia ad extremum, & agra,
Plenaq; tabifaci doloris.*

*E*xoptet annos fluxaq; secula
Annis retexi perpetuis senex,
Mustum ac nouum toties regudet,
Rex Pylius quoties bene hausit.

*Senectus longa quid adferet,
Præter et uultum dissimilem sui:
Frontemque ruga hiulcam,
Atque genas carie sepultas:*

**Quid præter effœtum, occidum, & tremens
Corpus, caputq;: quid nisi sensibus
Truncum carentem: ac palati,
Ingenij, & ueneris stuporem:**

Nunc ergo uitam quò insipiens cupis?
Quò corpus optas omnibus obuium
Morbis malisq; quò precare
Perpetuas tibi stulte pœnas?

Ne mortis horre spicula, quæ dabit
Sensu carere, uel melioribus
Locis tegi, ex statu esse leto,
Elysij est nisi spes inanis.

Dicolon distrophon.

D E S E I P S O,

CARMEN

v.

Frustra uenius mihi iecur tentas nouo
Igne, ad tuas obdurui

9

Flammas,

Flamas, nihil tecum mihi isto tempore
 Commune certe est : impetus
 Cæcæ iuuentæ dum ferebat, & calor
 Aetatis effrenæ, tuis,
 Plus forte, quam castum decebat, parui
 Iussis, fuit gratum improbo
 Amore uinci. at alter ignis iam occupat,
 Diu nimis qui canduit.
Incendio tuo, alter ignis me occupat
 Ignis pudicæ Palladis
 Sanctusq; literarum amor, decens amor:
 Mihi furit, furit mihi
Ille in medullis Palladis decens amor.
 Quem nec pharetratus puer,
 Nec tu dolis ullis repelles, ut locum
 Spurcis relinquat lusibus.
Abi in malam crucem dea impudica, abi
 Mortalium pestis fera:
Quod nunc nisi actuum uspiam te conferas,
 Ac desinas laceffere,
Erit tibi res cum cruento Gorgonis
 Vultu, quem habet tectum ægide
Pallas. quid? an uim numinis tanti feres
 Imbellis & mollis dea?

Glyconid

Glyconici cum pherecratio.

D E S C O R T O F O R
mæ iam decrescentis.

C A R M E N

V I.

O Lupa Veneris genus
Fornix quas alit abditas
Ridete, o Veneris genus,
Vestra facta sororis.

Scortum nobile, et omnibus
Mentulis bene cognitum,
In sanum modo desipit,
Omne negligit inguen.

Omne inguen nisi diuitum:
Mutones nihil facit
Pauperum, licet arrigant
Vel plus sesquipedales:

Vultu dum poterat Iouem
Formoso, et roseis genis
Mouere, ut solium poli
Linqueret graui amore,

Tum illi mentula nulla erat
Inuisa, aequaliter minus lupam,
Quam lumbi ualidi, et rubens
Poenis ipse mouebat.

At dum pulcher abit color,
Et frontem modò rugae arant,
Numos, ut futuat, petit
Olido plena ueterno:

p 2

Sed errat

Sed errat grauiter quidem
 Mœcha, si libuit dare
 Pro uulua pretium noua,
 Emit nemo uetus tam.

Dicolon distrophon.

I N C O M A T V L O S E T
 inepte amantes.

CARMEN VII.

O Peræ quidem pretium est genus quoddam hominū
 hic nunc
 Perstringere, illud scilicet
 Nomine tenuis tantum quod est virili ore,
 Cætera muliebre prorsus est.
 Heu quam tuos Persi cachinnos, quam iniuitus
 Tuos Horati reprimas,
 Hos si comatulos odoribus sparsos
 Species uolare per sacras
 Aedes, gradumq; identidem leui motu
 Suspendere, ut pauo rotans;
 Non tot colores, non tot assumit formas
 Proteus, draco dum est, ac atrox
 Leæna, tygris ue truculenta subito, et sus
 Frendens, ut eludat probè
 Quæsita, quot species coloris et uultus
 Comatuli hi uariant, dum aliquam
 Inambulando oculis cyclut uenatores

Ceruum

Ceruam notatam) seduli
 Sectantur : ò quām sāpe collum obuertunt, &
 Digito fricant uno caput?
 Quām sāpe referunt gressū ab imis ad celsa,
 Moechæq; formam suspiciunt,
 Quām sāpe mungunt, tuſſuntq; ; quām sāpe
 Vestis manum sentit leuem,
 Dum nimio amore feruidi, animo non possunt
 Conſtare, male ſani proci:
 Sufpiria trahunt pectore ex imo tristes
 Tam multa, quam eſt magnus numerus
 Libyſſæ arenæ, & quām polo sydus crebrum
 Micat, tacet dum nox nigra.
 Currunt, recurrunt, & nihil non conantur,
 Petita preda ut in ſuos
 Caffer cadat : ſāpe ad foreſ cubant noctu
 Scortilli amati : ſed nihil
 Succedit ex animo, operam perdunt omnem,
 Et fabula ſunt garrula
 Plebis ineptæ, ac ſermo communis uulgi.
 Miferum genus mortalium,
 Inane pondus terræ, alga magis uiles,
 Fex ſpurca, & umbra mortua,
 Perdit homines, frugesq; consumere nati,
 Aliquando non libet ſapere?

Monocolon iambicum.

AD GUILIELMVM SCAEVAM.

CARMEN VIII.

TE iure laudant multi ob eloquentiam
 Atque eruditionem inauditam & nouam,
 Hæc iure multi prædicant, ego quibus
 Assentior libens : sed est aliud tamen
 Quo te magis laudem, probem, atque diligam:
 Grata est mihi illa suauitas morum, & decens
 Candor, tibi quo uel truces possis Scythas
 Et barbaros Getas cito coniungere.

Monocolon iambicum.

IN QVENDAM, QVI
qui cucullum abiecerat.

CARMEN IX.

QVid profuit pullum cucullum ponere,
 Cum, que cucullus tum docet, tum adfert suis
 Mentem profanam, callidam, & sensus uafri
 Plenam, scelestam, omniq; consutam dolo
 Tam diligenter, quam antea serues tibi?
 Te spes fecellit primum, & illa opinio,
 Qui cum cucullo duplici mores tuos
 Posse abiici prorsus putabas duplices.

Ac nos simul pulchre fecellisti, quia
 Cum ueste deiectam arbitrabamur lucem
 Vestis, minusq; cauimus tum à te, prius

A quo

A quo cauebamus cucullato plano.

Heroicum dactylicum.

DE MVLIERE QVADAM QVAE
ludos literarios Tholosæ constituit.

CARMEN X.

Quod muliebre mihi nomen, quod uultus et ora
Fœmineum planè referunt genus.
Quod muliebri animo uirtutis cura negetur,
Cultaq; conueniat facies magis.
Quid tum? uirtutis ne mihi illecebrofa uoluptas
Præripuit studium studio sui?
Plus' ne mihi, mihi plus' ne sinus, plus candida forma,
Quam bene culti animi placuit nitor?
Non ita: displicuit comptus nimia arte capillus,
Displicuit roseus rubor in genis:
Labra nec infecere mihi conchilia, fuco
Displicuere madentia tempora.
Non placuit collo pendere monilia, pectus
Gemma nec excoluit patulum mihi.
Et segmentata uestes, et hiantina, et ostrum
Chariis haud uirtute mihi fuit.
Divitiae iacuere mihi, uirtusq; probata est,
Præ studio iacuere mihi omnia.
Præ studio iacuere mihi materq;, puerq;,
Mater amoris, et idalius puer.
Te solum, solum te Helicon, doctasq; puellas
Collibuit generoso animo sequi,

Nec tantum Aonias colimus, dum uescamus aura,
 Perpetuò monimenta rei manent.
 Ecce suus musis honor est solennis, & olim
 Non minor his erit aut honor, aut decus.
 Aeternum ingenij posui certamen, alumni
 Carmina quæq; sui ut ccelebret dea.
 Utq; theatrali ludo tua gloria Phœbe
 Syderibus magis ac magis hæreat.
 Et me nunc animo clamet caruisse virili
 Inuidus inuidiae face percussus.

Monocolon Trochaicum archilochium.

L V T E T I A E P A R I=
 fiorum laudes.

CARMEN XI.

Diu que turmam gubernas uirginum Lybethridū,
 Tuq; dux collis uirentis semper, ô uatum pater
 Sume, age argutam chelim, atq; à sede Parnasi huc pedem
 Confer, & chordis nouos cantus moue, & carmen nouū:
 Oppido huic assurge, quod turres superbae muniunt,
 Amne quod pulchro sequana undosa præterlabitur,
 Et quod ingens ambitus muro tuetur triplici:
 Ver quod æternum, sereniq; aura cœli temperat,
 Ac diei autor fouet Titan amico sydere.
 Non sua huic urbi Lyæus, non Cybelle munera,
 Non Napeæ floridos campos negarunt, nec comas
 Arborum, quæ uim caloris subleuent, dum feruidus
 Sol magis

Sol magis cendet, sibiq; agri dchiscunt aridi:
 Huic sibi, quæ fontibus præsunt, pueræ Naiades
 Fontium huic urbi dederunt, non lutosos alueos.
 Hanc sibi musæ domum olim uendicarunt, artium
 Nobilem cultu, boniq; æquiq; seruantissimam,
 Atque eo illustrem senatu, qui catonum moribus
 Tetricis non cedat, aut cuius seuero iudici.
 Plura quid dicam? quibus floret uiris non barbara
 Aut agresti mente, sed quos ipsa Pallas sub specie
 Aonis fuit uelut charos alumnos molliter?
 Heu quam Athenæ cesserint fama libenter, si decus
 Huius urbis sentiant astris poli addi: quam libens
 Roma cedet nomine excenso, & uetus gloria,
 Si fretum terramq; laude huius crepare exaudiatur.

Hendecasyllabi.

AD SYMONEM VILLANOVA=
 num, de nimio quodam scriptorum nostri
 temporis admiratore.

CARMEN III.

Monstrum quoddam hominis leue atque ineptum,
 Expers artis homo elegantioris,
 Cui tam barbaries placeat, Latini
 Quam sermonis honos parum probatur,
 Autores nibili facit uetus.

Tricas, quisqulias recentis aei
 Miratur, uelut ardui poli ignes:
 Et si huic aut Ciceronis, aut ab illo

p 5 Cuiusquam

Cuiusquam bene docti, amanter artem
 Commendes, cecinisse te arbitrere
 Surdo, qui fidibus lyræ moueri
 Nec posse, nec amet fides canoras
 Sensuq; arteq; substitutus omni.

Quod si forte studes inire paruo
 Sumptu gratiam ab hoc tenebrionc,
 Nil non iudicio huius, idq; abunde
 Largire, ac Latiae manus peritos
 Lingue, præ reliquis in astra fert:
 Quot quot secla tulere prisca patres
 Patres eloquij, negato laude
 Dignos, cedereq; asseras nepotum
 Nugis, Iuppiter, ad tenebrionis
 Quam pulchre facies inepta uota.
 Ne sim, ni te oculis ferat sinuq;
 Crassum crassa adeo iuuant, inertii
 Sic infantia foeda, tetra, cordi est.

Extra haec est aliud, quod impudentem
 Impellat nebulonem, ut in disertos
 Insurgat ferus, arteq; ut carentes
 Ornet plus nimio sua camœna:
 Illorum siquidem eruditio[n]em
 Quod nullo queat assequi labore,
 Atque hos quod facili negotio omneis
 Speret posse sequi rudes magistros.

Monosticha

Monosticha heroica.

AD PHOEBI OPEM IMPLO

randam, quibus usus est Doletus, dum in publico quodam literario certamine,
uersu contenderet.

CARMEN X I I I .

ME quoniam duci libuit per culmina sacri
Montis, et indulgentem arti se turba Aganippes
Præbuit ipsa meæ, licuitq; fauente Minerua
Semper inexhausto quiduis deducere uersu,
Nunc' ne mihi, nunc Phœbe mihi, nunc Phœbe uetabis
Numen adesse tuum? Aonio cui labra liquore,
Tempora cui lauro, lauro cui tempora latus
Iussisti spargi, dura sub mole iacentem:
Nunc (cum res agitur fame) ridebis alumnus?
Te dictante puer, quicquid iam nostra mouebit
Musa, olim excepti, uatem quem uatibus optas
Adiunctum, iam Phœbe iuua, iam uiribus auge.

Quod quondam tentabat opus, uel robore dextro,
Vel cursu, cum alti ludos sequeretur Olympi,
Nobilis Alcides, sociorum ut frangeret ausus,
Et fama coelum quateret terramq; fretumq;,
Id nos præsidio diuūm conanur alacres
Cominus arte sequi: classem sic soluere nauta
De portu properat regis præsente tridente,
In sanum quamvis tumeat mare, magnaq; fluctus
Murmura dent, alte rapti stridentibus austris:

Sic dux

Sic dux, Gradiui auxilio, maioribus obstat
Sæpe minor, monituq; Dei securus ad arma
Fertur, et exuys uictor redit ille superbus.

Scilicet ex uoto Phœbus si carminis orsum
Sponte mihi fundat, facili certamine palmam
Num referam? ingenijq; mei conantine uicta
Docta cohors iuuenum, sperata laude triumphi
Num me exornatum Aonia spectabit in arce?
Adfint tantum animo, nostris conatibus adfint
Dijq; deæq; omnes, quorum sub nomine regnat
Doctorum decus atque illustris gloria uatum,
Guttore me pleno uictorem preco crepabit.

Elegiacum recitatum à Doleto in
eodem certamine.

DE LAVDIBVS IUDICVM
certaminis.

CARMEN X I I I I.

ANna solenni redeunt spectacula pugna,
Miseriq; suo Pallas ab arce iubet.
Non tuba terribili sonitu, non clausa rauca,
Non quenquam ad bellum mars truculentus agit.
Clamat io Pallas, magnoq; hæc intonat ore,
Huc, precor, huc uates docti inhibete ratem.
Vocibus his Phœbus fauces exercet anhelas,
Vocibus his doctos turba nouena uocat.
Huc omnes huc ferte gradum, quos fouiimus ultro,

Quisq;

Queisq; datum est sacro tingere labra lacu.
Ludite securi, quorum non carmina liuor,
 Nec rabido frendens Zoilus ore petet.
Ludite, quos præter laudem, nomenq; superbum,
 Non uilis merces, dona sed ampla manent.
Ludite iudicibus tetrica grauitate probandi,
 Iudicij exacti ludite digna choro,
Vatibus immensum est calcar, non iudice surdo
 Aure nec agresti, fundere uoce modos
Acrius insurgit ualidus luctator in hostem,
 Quem spectatorum lununa multa notant.
Gaudet equus cursu, cursum murante magistro,
 Exultansq; leui fertur in astra pede,
Ad ducis aspectum mules commotior arma
 Arma capit multis sæpe futura neci.
Nescio quos stimulos nostris conatibus addit
 Censoris uirtus lance probanda grauis.
Ergo agedum, quicquid docuit uos artis Apollo,
 Audiat hæc grauibus cincta corona uiris.
Quas Veneri quondam Paridis sententia primas
 Detulit, hoc cœtu docta Minerua tenet
Non Iuno'ue, Venus'ue genas bene culta sinumq;
 Ausferet hinc fuso laurea ferta suo.
Hic sola hic regnat Pallas, uirtusq; decora.
 Vatibus hæc tantum laudis aperta uia est.
Huc quos tangit honos, quos gloria tangit, adeste.
 Vatibus hæc tantum laudis aperta uia est.

Dicolon

Dicolon distrophon.

AD M V S A M : Q V O D C A R .

men à Doleto lusum est secunda
certaminis die.

C A R M E N X V .

TE quæcumq; mibi comitem
Adiungi cupisti
Musa, incepto operi adspira:
Nobis penè uoratum
Iam medium est iter, ei age
Vires collige fessas,
Actutumq; mibi fer opem;
Nunc fer musa opem anhelo.

Non procul hinc metam premere est,
Quo nos tandem aliquando
Progressos, quanto excipiet
Pulcher Phœbus honore?

Nauta reus uoti nunquam
Votum tam studiose
Soluit ad aras Neptuni,
Saluus dum rate salua
Appulit optatis oris,
Quam flores tibi spargam,
Cantaboq; tuas laudes
Dulci carminis orsu,
Si quo coepisti studio,
Adsis nunc quoq; nobis:

O'cui

O cui perpetuò charites
 Mulcent pectus et ora.
 O' mea musa tuum, quæso,
 Nunc ne defere uatem:
 Quod nostri reliquum est operis
 Constanter peragamus.
 Ne uiuam, nisi quo est grauior
 Huius cura laboris,
 Gratior hoc erit hinc parta
 Nobis gloria posthac.

Non tum, quæ modo nos urunt
 Insomnesq; fatigant
 Cure, animo obuersabuntur:
 Cinget tempora laurus,
 Nos rūm nomen in astra ferent
 Celsis cantibus omnes.
 Tum meminisse quidem cura
 Falsas iuuerit horas,
 Laude ut tanta efferremur
 Aeternoq; triumpho.

Monocolon choriambicūm.

AD P VELLAS THOLOSAE:

quod in eodem certamine
 recitatum est.

CARMEN X VI.

S At uos iam sat hyems, satq; superq; acris hyems domi
 Tristis detinuit, segnitiem expellite uirgines,
 Nunc

Nunc expellite curas, maciem que ingenerant genis,
 Et tetro ora colore inficiunt, membraq; turpiter
 Fœdant: uos sat hyems, satq; superq; acris hyems domi
 Tristeis detinuit, segnitiem expellite uirgines.

Nunc cum parturiunt uere nouo agri, oīs & arboris
 Frondes dum folijs luxuriant, ac uiridi coma,
 Ornatae bene uultumq; sinumq; abiecite ocium,
 Et gressu celeri ad rura uolate obsita floribus.
 Nam que uos casta Diana tuetur sinus integri,
 Non abstrusa latet sub salebris specubus modo.
 Iamdudum caput eduxit in auras placido loue,
 Per sylvas uaga sternit iaculis fulmineos aplos,
 Festas ordine pulchro choreas cum strepitantibus
 Dicit uirginibus, quas ubi sudor nimius rigat
 Immensaq; siti guttur hiat, non gelidi procul
 Sunt fontes, quibus extincta sitis labra minus coquat,
 Et lymphis liceat proluere artus tepidos adhuc:

Tum stratæ uiridis tegmine sub fagi, auium omnium
 Cantus dulcisonos auribus acri studio hauriunt,
 Et quo luget Ithim mater amoeno strepitu, notant,
 Certantq; canentes, ut Olympus modulus tonet:
 Thyrsis tempora cingunt hæderæ, ferta leui manu
 Intexunt hyacintho uario, & purpureis rosis.

Nec uos tanta mouet, ut libeat ruri agere, & chorum
 Diana comutari, hæ modo quem deliciae iuuant?
 Indulgete iocis, uitam hilarem ducite, dum licet,
 Fertq; etas, & ad id uos uocat anni facies noua.

Dicolon

Dicolon tetrasstrophon.

DE LAUDIBVS VIRGInis Mariae.

CARMEN XVII.

Me'ne Parnasi moderator alme,
 Me tuum linques modo Phœbe uatem,
 Dum decus coeli Mariam sacratis
 Laudibus orno?
Me'ne, quas uernans Heliconis umbra
 Solis à uultu calido tuetur,
Me'ne rideri libet, ô forores
 Magna secutum?
Iam satis uestro auxilio Poëtae,
Martis horrendos cecinere motus,
Iam satis scripsere iocos diones
 Carmine molli.
Nunc iuuet paulo grauiora uestris
Cantibus dici, iuuet ad canoram
Barbiton, laudes Mariae decusq;
 Iungere coelo.
Que tuos Titan prior horret ortus,
Queq; te ponto tegit occidentem
Terra, certatim Mariae uerendum
 Numen adorat.
Qui plagam Rheni colit, aut Iberum,
Quos rigat Maeotidos unda ripæ,
Huus agnoscunt celebrantq; nomen

Poplite flexo.

Huius ad nutum micat omne sydus,
 Huius ad nutum tumidae procellae,
 Et mare insanum filet, atque dira

Murmura ponit.

Hæc Dei gnatum peperit, salutis
 Hæc ducem nostræ tulit alma virgo,
 Hæc ab inferni tenebris, ad auras

Extulit omnes.

Quid? quod hæc in nos superum furorem
 Et minas coeli altitonantis arcet,
 Rebus ut nostris mala nulla spirent

Numina læsa?

Ergo selectos per aprica rura
 Colligat florum cumulos iuuentus,
 Colligat flores hyacinthi, & aras

Virginis ornet.

Lilij thyrſis niueis ligustra
 Implicit, texatq; amarantho amomum,
 Quæq; uim afflatus referunt Sabæi,

Gramina carpat.

Ac ubi multo sacra templa flore
 Sparsa spirabunt uarios odores,
 Virginis tali prece quisq; pro se

Vellicet aurem.

O' pijs uotis uia læta, spesq;;
 O' reis certum miseris leuamen,
 O' quies præsens, statioq; feſſis

Tuta carinis.

Per tui

Per tui foetus uteri pydici
 Per tuæ nomen sobolis beatæ,
 Per sinus è queis Deus ipse quondam
 Lac babit infans.

Per tuum nomen dea summa, per te
 Virgo, quæ nostros studiosa questus
 Et preces audis, per amoena tempe,
 Quæ pede calcas.

Huc ades Regina poli, secundo
 Huc ades gressu, populiq; uota,
 Vota clamantis pia Virgo lato
 Suscipe uultu.

Sit procul bellum, procul hinc aberret
 Pestis, & matrem Cererem Lyæus
 Vincere ubertate uelit, cadosq;
 Impleat uuis.

Plura quid? stamen fera dum secabit
 Atropos, celsi pateant Olympi
 Tum fores nobis, referetq; magnam
 Clauiger aulam.

Dicolon tetrastrophon.

DE LAUDIBVS EIVSDEM.

CARMEN X VIII.

Quantum laudis abest uatibus optimis
 Rem si forte leuem carmine pessimo
 Enarrent, nec opus plebeium ex leue
 Poſſint uiribus affequi?

Contrà quām minimum dedecus obterit
Laudem perpetuam uatis, ad ardua
Qui aggressus labat, & robore debili
Molem ferre nequit grauem?

Nemo Vergiliū, dum Priami canit
Casus, non facile diſsimulet deam
Clion, ſæpe locis pluribus opprimi
Victam quandoq; cedere.

Nemo magni etiam carmen Homeri amet
Miretur ue minus, ſi, dum ab eo Ilias
Cantatur, graue quicquam exuperet modos
Vatis principis omnium.

Et quisquam dubitet parcere risui,
Si, dum Christiparæ uirginis effero
Laudes, carmina me nulla satis iuuent,
Atque impar oneri cadam?

Illa eft, illa poli quæ imperium tenet,
Illa eft, quam haud celebris Pallas, Apollo'ue,
Qquam non ipſe Helicon cum Aonidum choro
Dignis cantibus efferat.

Dicolon Distrophon.

AD MVSAM: QVOD CARMEN
 ultimum fuit à Doleto cantatum
 in certamine.

CARMEN

XIX.

IAm mea muſa ſatis
 Factum ſit: ad sanctos ſpecus

I*q*

Iḡ; referq; pedem,
 Et nuntia musis suum
 Carmine me uario
 Lusisse uatem: sed quæ erunt
 Præmia, si cupiant
 Audire, responde, ut fuit
 Auribus eximijs,
 Et iudice auditus graui,
 Præmia iam referet:
 Sed forte si surdis data est
 A' me opera, & cecini
 Modo auribus duris, putent
 Atque operam, atque oleum
 Hic perditum omnino mihi.
 Quis siquidem moueat
 Doctis carentes auribus?
 Quod tibi sit reliquum.
 Verbis salutem dic meis
 Palladi, & Aonie
 Turbae sororibus nouem:
 Scilicet ut faciant
 Votum uicissim omnes, ut hic
 Munera si capiam
 Optata, nunquam mihi minus
 Sors cadat ex animo.
 Sed quod uoraui spe decus,
 Si mihi non liceat

Hinc nunc referre, quandoq;
 Dent meliora Dei,
 Et lenius flet sors bona.

F I N I S.

E R R A T A.

- Pag. 5.lin. 14. lege, præfracte
 Pag. ea.lin. 21. lege, putet ue
 Pag. 7.lin. 6. lege, gentium
 Pag. ea.lin. 25. lege, maledicendi
 Pag. 10.lin. 22. lege, probent
 Pag. 11.lin. 13. lege, ad brutane
 Pag. 15.lin. 1. lege, An nos
 Pag. ea.lin. 24. lege, sodalitatis
 Pag. 16.lin. 7. lege, cuiuis
 Pag. 20.lin. 4. lege, par erat, amore
 Pag. ea.lin. 11. lege, impudenter
 Pag. 32.lin. 8. lege, molestiam
 Pag. 38.lin. 24. lege, uiri amplissimi
 Pag. 39.lin. 18. lege, initium dedi, egregij certe
 Pag. 43.lin. 4. lege, muneris
 Pag. 44.lin. 12. lege, ecqui portus
 Pag. 50.lin. 12. lege, insinulasse doleres
 Pag. 51.lin. 8. lege, in audiendo diligentiam
 Pag. 52.lin. 4. lege, assentictur
 Pag. 62.lin. 1. legē, misere iacui
 Pag. 63.lin. 6. lege, ea salifa

Pag.ed.

Pag.ea.lin.9.lege,infirmata & cui
Pag.ea.lin.17.lege,incolume
Pag.69.lin.8.lege,aut monebo,aut rogabo?
Pag.76.lin.19.lege,amoris abundantiae
Pag.83.lin.25.lege,comprimam,hac meum
Pag.96.lin.6.lege,ponderis homo grauiissimum
Pag.102.lin.27.lege,insolenter non obtundant
Pag.116.lin.antepenul.lege,ludis acturus
Pag.127.lin.11.lege,Vale,ruri
Pag.131.lin.5.lege,uidear imitari
Pag.134.lin.antepenul.lege,ac concessum
Pag.141.lin.21.lege,si quam copiosissime
Pag.143.lin.12.lege,ruri etiam nunc ago
Pag.146.lin.17.lege,egreferendos
Pag.150.lin.4.lege,se uerterit
Pag.152.lin.18.& lin.24.lege,quam
Pag.153.lin.10.lege,qui non uideamus
Pag.159.lin.8.lege,erexit
Pag.171.lin.6.lege,uinci
Pag.172.lin.22.lege,laconismo
Pag.173.lin.17.lege,immature
Pag.174.lin.16.lege,gratiam
Pag.175.lin.antepenul.lege,scribam iterum Vale
Pag.178.lin.3.lege,nil'ue humile
Pag.191.lin.1.lege,jam
Pag.192.lin.17.lege,apud duces
Pag.199.lin.3.lege,&
Pag.200.lin.20.lege,dens
Pag.225.lin.12.lege,occiduum
Pag.227.lin.24.lege,Penis



D O L E T V S.

Durior est spectatæ uirtutis , quam
incognitæ conditio.



